JOH. HENRICI URSINI
DE
ZOROASTRE
BACTRIANO,
HERMETE TRIS-
MEGISTO,
SANCHONIA-
THONE PHOE-
NICIO,

Eorumq; scriptis, & aliis, contra
MOSAICÆ SCRIPTURÆ
antiquitatem;

EXERCITATIONES
FAMILIARES,

Quibus
CHRISTOPHORI ARNOLDI
SPICILEGIUM
accessit.

✲:(o):✲

NORIMBERGÆ,
Typis & Sumptibus MICHAELIS ENDTERI,
Anno M. DC. LXI.

NOBILISSIMO, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. TOBIÆ ÖLHAFEN
à Schölnbach/
JURISCONSULTO LONGE CELEBERRIMO,

DIVERSORUM S.R.I. PRINCIPUM, ET STATUUM, AC PRÆCIPUE

ILLUSTRIS REIP. NORIMBERGENSIS CONSILIARIO INTIMO ET PRIMO,

AD CONVENTUM RATISPONENSEM P. T. LEGATO SPECTATISSIMO,

ACADEMIÆ ALTORFFINÆ PROCANCELLARIO DIGNISSIMO,

Domino, Mecœnati, Patrono suo summo,

D. D. D.

AUTOR.

ANtiquitatis gloriam & Superſtitioni Impietatiq́; ſuæ Pagani, & veræ religioni Chriſtiani ſemper vendicabant: ſtudio pari, certamine conatuq; æquali, eventu tamen diverſo. Vicit enim Veritas, triumphatq́;, non paſſa ſibi extorqueri hoc de Antiquitate præjudicium. *Antiquiſſimum* enim *quodq́; veriſſimum.* Nec dubitare debuit Cicero, quin *de rebus divinis*, religionem ſpectan-

ctantibus, *credendum ſit antiquitati, quæ quò propiùs aberat ab ortu & divinâ progenie, hoc meliùs, quæ vera erant, cernebat.* Atque ut idem rectè cenſebat; *id habendum eſſe antiquisſimum, & DEO proximum, quod ſit optimum:* ita non poteſt non eſſe optimum, quod eſt antiquiſſimum, Deoq; proximum. Quæ cùm ita ſe habeant, neſcio an veniâ digni ſint; laudem ſanè nullam mereri poſſunt, qui Moſi, primo Veræ Religionis Scriptori, cujus libros *totius theſaurum eſſe Judaici Sacramenti, &*

 indè

indè nostri affirmavit Tertullianus, decus hoc abrogant; & nescio quos, nobis *Zoroastres*, *Trismegistos*, aliaq́; ex Orci paludibus monstra, producunt, quibus antiquitatis prærogativam asserant. Equidem nullius scientiam obscuratum eo, neque sinum conscientiæ excutio: floreant, per me licet, eruditionis laude, qui hoc faciunt; sint pii & DEI timentes, habeanturq́;, nil detractum volo: si qui tamen in hoc studio, cum vincendi cupiditate, contumaciq́; proposito, occupantur, vereor

vereor ut à crimine imminutæ divinæ majeſtatis abſolvi poſſint: cauſam Veritatis contra Atheos, aut prodere prævaricando, aut deſerere malè patrocinando, arbitror.

Quas eâ de re ſuperiore anno, ſubceſivâ induſtriâ, conſcripſi Exercitationes, *Excellentiæ Tuæ*, offero. Debui hoc Pietati Tuæ, quâ ſanctas colis literas, quas Moſes divino nobis inſpiratu reliquit. Debui humanitati eximiæ, quâ me meosq; ordinis homines, pietatis ſinceræ præcones, comple-

ꝢCteris. Ab utrâque expeto & exſpecto, ut hoc candidi gratiq́; animi mei de utrâque teſtimonium ſereno vultu accipias; publiceq́; extare & ad poſteros, ſi qui futuri ſunt, nominis Tui celebritate, durare velis, jubeas. Ego ut hoc ſtudii genere laudem non venor, fateorq́; meliori Patrono dignam fuiſſe cauſſam hanc, niſi ipſa per ſe ſibi ad victoriam ſufficeret; ita lividos dentes nihil metuo, poſitus longè infra invidiam: quam mereri felicium ingeniorum eſt; non meum: niſi Te, Vir

Am-

Amplissime, Tuiq́; similium aliquem operæ meæ approbatorem fuero consequutus. Vale, & fave, Literarum Mecœnas, præsidium & decus meum! Scribebam prid. Calendas Martias, Anno cIɔ Iɔc LXI.

Ad

Virum plurimùm Reverendum,

Amplissimum, Excellentissimum,

DN. JOHANNEM HENRICUM URSINUM, Ecclesiæ Evangelicæ Ratispon. Pastorem & Superintendentem Vigilantissimum, S. Consistorii Adsessorem primarium, Scholarcham Gravissimum, &c.

post multa doctissima scripta, peculiari libro

Scripturæ Mosaicæ antiquitatem feliciter vindicantem.

INclyta scribendi primus fundamina jecit
Ipse DEUS quondam, ter Maximus Optimus ille
Terrarum cæliq; sator; qui legibus orbem
Instruit, & semper recta ratione gubernat.
Augustos initus res augustissima poscit!
Maximus & magni DEUS exstat muneris autor!
Legifer Hebræus, cælesti Numine plenus,
Humana ductus divinos induit arte
E genere humano primus, diæ æmulus artis.
Hinc omnis toto manat sapientia mundo,
Hucq; redit, tales tandem descendit in ortus.
Credere sacra jubet nos pagina, credere suadet
Sanctorum nobis Patrum venerabilis ordo.
Adamo primo sua debita gloriâ constat,

Et

Et nos ex ejus ſumus omnes ſemine nati,
Omnibus atq; idem Pater eſt. Ac nec pia Sethi
Progenies merito à nobis fraudatur honore.
Ingentes meruit laudes ſanctiſſimus Enoch,
Qui raptus quondam puri qua lactea cœli
Semita, fulgentis ſupra vaga lumina Lunæ
Vivus in æternas ſcandit cum corpore ſedes.
Nec lauro privare libet, dignove triumpho,
Qui quondam vario ſeſe certamine fortis
Præſtitit Athletam fortem, ſanctiſſimus Hector.
At velut Oceanus totum diffudit in orbem
Flumina doctrinæ Moſes; tum primus in arte
Inſuetis divina modis oracula ſcribit.
Hæc ingens ſoli debetur gloria Moſi!
Hoc vatum genus invento ſuperavit, & omnes
Præſtinxit, ſtellas exortus ut ætherius Sol!
Centum oratores mittat Nilotica tellus,
Centum oratores conducant barbara Bactra,
Centum oratores Phœnicum natio mittat,
Centum oratores emittat Græcia mendax,
Centum oratores mittat Tarpeja rupes;
Non perſuadebunt aliud, licet ilia rumpant.
Pro falſis haud vera damus, nec ſomnia vana
Obtrudi patimur nobis, queis lux data veri. (Orco
Quid? miſer ille Hermes, Magus unà Barbarus;
Damnati in tenebris trepidi verſantur, & atris
Abſona deſcribunt ſpatiantes dogmata taxis,
Vanaq; ſuffigunt ulmis ſua ſomnia opacis.
Proh Superi! Quæ nam rabies mortalia corda
Inſtigat? ſubeunt homines telluris operta;

Auri-

Auricomo fœtu, ſibi quem Proſerpina poſcit,
Inſtructi ſubeunt Stygii fera regna Tyranni,
Horrendoq; auſu revocant per carmina Manes.
Proh Superi! partu nunc infera regna nefando
Emittunt Orco damnatos lucis in oras,
Portaq; candenti perfecta nitens elephanto
Deſtinat in noſtrum fallacia ſomnia mundum.
Debuerant ſcripta æternis abolerier Orci
Ignibus, atq; Magi triſti ſub carcere Ditis
Pœnas ferre graves, Furiasq; horreſcere hiántes.
Et tamen hos audax hominum genus evocat, orbi
Somnia non dubitans, tenebrasq; effundere vero.
Indignum facinus! propiùs Tu conſeris arma,
Excitus juſto zelo, pugnamq; capeſſens
Cedere ſede ſua, priſcasq; redire ſub umbras
Magna vi cogis genus hoc, URSINE, nefandum.
Tantum, URSINE, potes, tantum tua Pallas, & illi
Euſebie ſociata valens, theſaurus & ingens
Pectoris ille tui, quo quicquid docta vetuſtas,
Continet, & quicquid divina oracula pandunt,
Quicquid Stoa tacens, quicquid vocale Lycæum
Tradidit, ac doctis Academia volvit Athenis,
Congeris, & ſervat TIBI feliciſſima rerum
Mnemoſyne cuſtos, qua parvo ritè ſub orbe
Pectoris immenſum ſapiens complecteris orbem.
Ecce ut horrendæ facies, Stygialia monſtra,
Producta in lucem non fauſto ſidere, lucem
Evitare tuam conantur, & horrida retrò
Lumina reflectunt, ac infelicia vertunt (cum,
Terga fuga, & rurſus properant remeare ſub Or-
Eume-

Eumenidum ad thalamos! Revirescit gloria prisca
Legifero Vati, purâq; in luce refulget.
TE vero, VIR MAGNE, locat victoria cœlo,
Palmaq; vincenti datur inclyta, conscia facti,
Quæ toties vexit totum tua Scripta per orbem:
Gloria perpetuam laurum, magnisq; triumphis
Æmula decernit TIBI præmia, Solis ab ortu
Solis ad occasum felici Gloria curru
Porrigit, & magna differt tua nomina voce,
Qua sua sunt vulgo, sua qua commercia Phœbo.
Nec minus ingentes victoris nostra Thalia
Decantare cupit gratanti carmine laudes,
Claraq; mansuris intexere nomina cedris:
Pauca loquens, sed multa volens, cum talia fatur:
Summe DEUS, si res humanas respicis æquus,
Si justas audire preces dignaris ab alto,
Si mentem pietatis honos & gratia tangit,
Imbripoli salvum CAPUT HOC VENERA-
BILE serva!
Artibus & Templis CAPUT HOC VENE-
RABILE serva!
Ejus & è nostris annos clementer adauge!
Ut, qui multa dedit mundo, documenta diserta
Ingenii det plura sui, quiq; unus haberi
BIBLIOTHECA potest, & BIBLIOTHECA
vocetur.

Plurimùm Reverendo atque Excellentissimo Domino suo Patrono, Evergetæ ac Promotori ætatem venerando, hoc qualecunque devotissimi cultus, ac gratissimæ mentis monumentum p. æternum devotus cliens

M. GEORGIUS Wonna/ P.L.C.

EXCERPTUM
è Justini Philosophi & Martyris Cohortatione ad Græcos,
DE
MOSIS ANTIQUITATE,
Jo. Lango interpr.

N*Ecessarium esse reor, &* tempora *inquirere,* quibus vestri *vixére* Philosophi; *ut* recens admodũ & breve *intelligatis esse, quod illos vobis tulit,* tempus: *ita enim facilè quoq; vobis erit,* Mosæ vetustatem *nosse. Ne verò de temporibus verba faciens, tempus extrahere, pluribus utens probationibus, videar; satis esse duco, rem paucis ostendere.* Socrates *Platonis,* Plato *Aristotelis fuit præceptor. Hi autem* Philippi & Alexandri Macedonis *floruére* temporibus, *quibus &* Athenienses Oratores; *sicuti clarè nobis hoc indicant etiam* Demosthenis *adversus* Philippum *scriptæ orationes. Quod verò &* Aristoteles *cum* Alexandro, *regni ejus administrationis tempore fuerit, qui Alexandri res gestas conscripse-*

runt

runt Historici, abundè testantur. Undequaq; ergo cognitu facile est, multò antiquiorem esse externis historiis omnibus Mosæ nostri historiam. Atqui ne hoc quidem vos ignorare decet, ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, οὐδ' ἐστί τι σύγγραμμα παλαιὸν, Ἑλλήνων ἢ Βαρβάρων σημαῖνον πρᾶξιν, *id est*, nihil quidquam ante Olympiades à Græcis accuratè scriptum esse; neque exstare scripturam ullam veterem, in quam res aliqua Græcorum vel Barbarorum sit relata. *Sola verò tum & prima prophetæ Mosæ exstitit historia, quam afflatu divino ille Ebraicis composuit literis.* Græcorum *enim* nondum exstabant, *pro eo, atque ipsi etiam literarum magistri asserunt,* Cadmum *eas primùm è Phœnice allatas* Græcis tradidisse, *docentes. Quin &* Plato *ipse, philosophorum princeps,* ὕστερον δὲ εὑρί-σκειν, posteriùs inventas *esse, testatur: Inducit enim,* in Timæo, *sapientum sapientissimum* Solonem ex Ægypto reversum, *Critiæ dicentem, audisse se Ægyptium quendam sacerdotem, non admodum senem, ita secum agentem:* O Solon, Solon, vos Græci pueri semper estis; neque quisquam est

eſt Græcus ſenex. *Deinde rurſum* : Adoleſcentes, *inquit*, animo eſtis omnes, nullam enim in eo, per auditionem veterem, habetis ſententiam priſcam, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδὲν, neque aliquam propter temporis diuturnitatem canis obſitam doctrinam: nec animadvertitis eos, qui ſubinde à caſibus fatalibus ſunt ſuperſtites, ætatibus multis ſine literis multos diem ſuum obire. *Proinde ſcire convenit, omnem hiſtoriam & doctrinam Græcorum poſterius inventis eorum literis eſſe conſcriptam.*

Hæc, & alia, Juſtinus ille.

Proœ-

Procemium!

Quæstionis origo & status. Antiquitatem Mosaicæ Scripturæ oppugnantium præcipua argumenta. Propositio.

I.

QUæ de antiquitate Mosaicæ, totiusq; adeò Canonicæ, Scripturæ antiquissima olìm primorum Ecclesiæ Christianæ Doctorum contra Paganos fuit disceptatio; ea seculo nostro, in Atheïsmum præcipiti, ita recruduit, ut magnâ contentione inter eos agitetur, qui utrinque Christiano nomine censeri volunt. Nostri sic statuunt: *Certùm immotumq; esse debere; quod Canonicæ Scripturæ initium, ab ipso DEO in solenni Legis promulgatione, factum sit, cùm Legem Moralem is ipse tabulis lapideis inscripsisset digito suo,*

qui eandem primùm hominum cordibus in ipso conditu insculpserat: Hoc ad autoritatem majestatemq́ S. Scripturæ plurimum omninò facere illustrandam, constareq́ cùm aliis argumentis, tùm isto; quod nullum Canonicum scriptum Decalogo antiquius ostendi queat, Dn. D. Gerhardus in Exegesi de S. Script. cap. 2. Dn. D. Waltherus in Officinæ Bibl. Reposit. I. num. 164. Mihi fortiùs stringere adversarios visum, affirmareq;, ut nuper in Analectis Sacris Volum. I. lib. 6. cap. I. *Primi omninò libri Scriptorem fuisse Mosen*, arte scribendi ab ipso æterno DEI VERBO, ejusque prototypo exemplari, Legis Duarum Tabularum, acceptâ: hinc à Judæis ad omnes cæteras gentes dimanâsse: Itaq; cùm hæ ferè Literarum inventum, communi consensu, ad DEUM aliquem autorem retulissent; Mosen tamen unicè audiendum nobis esse, qui summâ fide enarrârit; quisnam ille fuisset? Hebræas literas, nullo Sapientum dissentiente, omnium fuisse primas: cœterùm, quod ullæ extiterint ante illas, quas ὁ λόγος ἐρμήνευς in Duabus Tabulis manu suâ exaravit,

aravit, nullo argumento evidenter demonſtrari poſſe: nullam antiquiorem Scripturam, neq; ex ſacris, neq; ex profanis fide dignis monumentis ullis uſpiàm comparere: Hanc Moſi hujus inventi gloriam etiàm Gentiles Scriptores, citra invidiam, tribuiſſe; antiquiſſimos Eccleſiæ Doctores conſtanter aſſeruiſſe. Sic *Eupolemus* etenìm *de Regibus Judæorum*, citatus à Clemente Alex. Euſebio, Cyrillo: Sic Gregorius Nazianz. *Nonne Phænicum ſunt literæ? aut, ut nonnullis placet, Ægyptiorum? vel etiàm eorum, qui his Sapientiâ antecellunt, nimirùm Hebræorum, qui Tabulis divinitùs exſculptis Legem à DEO inſcriptam eſſe perſuaſum habent?* in Julian. Steliteut. 1. Hanc igitur traditionem, divinâ fultam teſtimonij Moſaici autoritate, à priſcâ & ſincerâ illâ Hebræorum Synagogâ in Eccleſiam Chriſti derivatam, ſummo Patrum ſtudio defenſam & propagatam, approbatamque vel hodie quoq; plurium doctiorumq; Chriſtianorum conſentientibus ſuffragiis; longè præferendam eſſe, tùm omnibus Ægyptiorum Græcorumve vel immani-

 bus

bus mendaciis, vel ad occultandam veritatem ingeniosè doloſeq; excogitatis figmentis; tùm & imprimis recentiorum Hebræorum Arabumve fabulis, aut nuperorum quorundam Chriſtianorum Vitilitigatorum ratiunculis: ne S. Scripturæ antiquitas & veritas apud Paganos & Atheos, paſsìm ſuccreſcentes, in contemptum adducatur, eorum temeritate, quos vel maximè illius ſtrenuos defenſores & vindices eſſe oportuerat: fiatque juſto DEI judicio, ut qui DEI Verbum ſpreverint, Diaboli quisquilias & ſtercora amplexentur: cujus horrendi ſupplicij exemplum nuper vidimus in *Iſaaco Peyrerio* Gallo, Calviniſtâ nomine, re Atheo, Præadamitarum Prometheo: qui tamen Romæ Papiſta factus eſt, fortè quòd *Jordani Bruni*, cujus ſecutus eſſet blasphemias, ſimile ſupplicium meritò expavisſet. *Fuit enim Brunus iſte patriâ Nolalanus, ex Regno Neapolitano, profesſione Dominicanus: docuit libris editis; mundos eſſe innumerabiles, & quidem ab æterno:* SOLOS HEBRÆOS *ab* ADAMO *&* EVA *origiginem ducere, reliquos ab iis, quos* DEUS

pridiè

epridiè fecerat : MOSEN miracula sua per MAGIAM operatum fuisse, in quâ plus profecisset, quàm reliqui Ægyptij : Leges eum suas confinxisse, S. Literas esse somnium, &c. Ob has blasphemias *Romæ in Campo Floræ, ante Theatrum Pompejanum, exustus fuit Anno M. DC. 9. Februarij*, ut Scioppius in Epist. quâdam retulit. Hæc & id genus plura pro affirmativâ adferri possent, quæ multis exsequi nunc quidèm non libet.

2. Qui contrariam sententiam tuentur, varia promunt argumenta : ut 1. Hunc esse *unanimem omnium Autorum, Græcorum, Latinorum, Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Samaritanorum, Æthiopum, Ægyptiorum, consensum*; fuisse non post diluvium duntaxat, sed & ante illud Scripturæ & literarum inventum in usu : Eum, ut dixit Plinius, fuisse *æternum*, id est, mundo humanoq; generi ferè coævum. 2. Hanc traditionem omnium ferè populorum à Theologis Christianis approbari. 3. Ostendi literas etiam nùm ab Adamo, Setho, Henocho, Nohâ & aliis ante Mosen inventas. 4. Citari repeririq;

in S. literis libros ante Mosen conscriptos; imprimis *Henochi Prophetiam*, & *Jobi certamina*, &c. 5. Ipsas attestari; fuisse ante Legem γραμμάτων εἰσαγωγεῖς à Mose institutos: hunc *in omni Ægyptiorum sapientiâ eruditum* celebrari: 6. *Sethianorum columnas* à Josepho memoratas, multaq; *Sanchoniathonis*, *Zoroastris*, *Hermetis Trismegisti*, monumenta Phœnicia, Assyriaca, Ægyptiaca, seculis aliquot Mosaicis antiquiora, huic traditioni fidem facere: Deniq; 7. Rationem ipsam cogere assensum: quod fieri nequiverit, ut literarum scientia fugerit Adamum Protoplastum, factum ad imaginem DEI; aut post illum tot sapientissimos rerumque omnium peritissimos, imò θεοδιδάκτους viros latuerit: præcipuè cùm tanta literarum videatur utilitas, imò necessitas, ut mundus ipse sine illis tamdiu vix potuerit subsistere: nec veri simile ullâ ratione fieri queat, quî evenirit, ut solertissimi illi Patres antediluviani, tot seculis, tot repertis artibus & scientiis, tàm longâ experientiâ instructi, hanc unam, omnium cæterarum conservatricem & propagatricem,

tricem, artem ignoraverint, aut non adinvenerint, cùm hoc inter eos vigeret certamen pulcherrimum, ne quid profuturum seculis diu lateret; *Hæc illi*, alij alia, his tamen non dissimilia.

3. Scripserunt de hoc argumento quædam sparsìm Viri Doctissimi, quos ubi opus erit cùm debitâ laude nominabo: qui cùm aciem hanc, contra Mosaicæ Scripturæ antiquitatem, ex ipsis Ecclesiæ castris, quod dictu pudendum est, eductam, maximâ sui parte jam profligaverint; putavi mihi tantùm reliquias de clade superstites persequendas, id est hoc potissimum demonstrandum esse; *Zoroastris, Hermetis, Sanchoniathonis libros* fictitios & supposititios esse omnes; Traditionum jactatam Magorum Hæreticorumq; recentius commentum & Diaboli sophisma esse: neque ad eam statuminandam quicquam facere vel Adami scientiam, vel Sethianorum columnas, vel Mosis Ægyptiacam sapientiam, vel cæteras ratiunculas.

Adsit

Adſit JESUS cum Spiritu ſuo, dùm majeſtatem Literarum ejus defenſum eo: Tu verò fave, Pie Lector, pro bonâ cauſsâ pietatis decertanti, & dùm in Athëismum, quem Adverſarij mei aut ex propoſito, aut ſanè incauti propugnant, ſtyli arma expedio, acclama:

FELICITER!

EXER-

EXERCITATIO PRIMA, DE ZOROASTRE, EIUSQUE SCRIPTIS.

SECTIO I.

Quis ille fuiſſe vulgò perhibeatur?

SCripſit de Zoroaſtre nuperrimè *Johannes Biſſelius Illuſtrium Ruinarum Dec. I.* Secutus autores ſuos, recentiores tamen maximè. Operæ pretium eſt, paucis repetere. Zoroaſtres magnos ſex pluresve nobis producunt & edolant nuperi Scriptores. Eorum princeps, nominis ipſius Sator, ſivè illud ἀςροθύτην, ſivè *vivens aſtrum* ſignificat, *Bactrianus* ille fertur, *Nimrodo*, Chaldæorum poſt diluvium Tyranno primo, *ætate ſup-*

par: Is unus hominem risu edito, cùm è bulgâ matris excideret, vitam ludibrio exorsus est, ajuntque cerebrum ita palpitâsse tùm, ut impositam manum repelleret, *futuræ præsagio*, non ut putabat Plinius, *scientiæ*, sed insaniæ. Hausit hanc à Magistro *Azonace*, quisquis ille fuit; meditatusq; totis viginti annis in altissimis Persarum montibus, quo toto tempore caseo solo victitâsse dicitur, in tantum profecit, ut primus Astrolatriæ, Magiæque apud Persas autor evaserit: quibus Ignem visibilem, & tres DEOS *Oromazon*, *Arimanium*, *& Mithram* colendos præscripsit, editis diversis super istâ superstitione monumentis: quorum catalogum deinceps expendemus. Ajunt ex ejus scholâ processisse, malarum artium hæredes & asseclas, posteros illius sine numero: usq; dùm tandem *Hostanes* Persa, Xerxis in bello Persico comes, nefariis his artibus minoris Asiæ gentes Græciamq;, ac longè lateq; populos, rudes adhuc talium intactosq;, imbuerit. At Zoroastres, hoc fultus præsidio, potentiam sibi regnumq; Bactrianum, fascinatis bar-

barorum

barorum animis, comparavit, diuq; tenuit inconcusſum. Denique cum *Nino* Asſyriorum Monarchâ, *Nimrodi*, quem poſt funera conſecratum mutato mortali nomine Belum ſalutari voluit, *filio*, viribus impar, artibus & inferorum ſubſidio ſuperior, congresſus ſuccubuit: Creditus quoq; in pugnâ cecidisſe, vivus tamen mox apparuit, captusque & ad triumphum reſervatus, accelerante ſupplicium Divinâ Nemeſi, cœleſti igne conflagravit. *Hæc* hiſtoriæ, an fabulæ potiùs? *Summa eſt*, quam multis enarrat Bisſelius, diſertè, ut ſolet, & ingenioſè, ut apparet; ſed quàm accuratè & verè? collatio veterum Scriptorum, è quibus veritas, multis Diaboli technis involuta, eruenda & asſerenda eſt, demonſtrabit. Nihil hic fingere ex ingenio licet. Teſtes antiqui producendi & interrogandi ſunt; ex eorum conſenſu disſenſuve, videndum, quid ſtatuere conveniat.

SECT. 2.

SECTIO 2.

Quinam Scriptorum primi Zoroastris meminerint? & quid de eo in literas retulerint?

ANte Olympiadem centesimam, Regnumq; Artaxerxis Mnemonis, quod annis ferè quadringentis ante Christum natum cœpit, nemo puto Scriptorum produci poterit, qui Zoroastris meminisset. *Primus* omnium, quorum quidèm monumenta extent, videtur appellâsse *Plato*, qui ut ex Hermippo tradidit Laërtius, *mortuus est anno primo Olympiadis centesimæ octavæ natus annos LXXXI.* Fuit is annus ante Christũ CCCXLVIII. ut notat Petavius: quo tempore apud Persas Artaxerxes Ochus, & in Græciâ dominabatur Philippus Alexandri pater. Olympiade centesimâ tertiâ *Eudoxus Astronomus*, Platonis æqualis; eodemque tempore *Ctesias Artaxerxis Mnemonis Medicus*; ut & *Eubulus Comicus*, sæpiùs ab Athenæo memoratus, floruêre, ut Suidas testatur. Hi antiquissimi sunt testes, qui de Zo-

de Zoroaſtre quicquam in literas retulerunt. Plato, *quos Perſæ*, inquit, *Regios Pædagogos vocant, quatuor ſunt Viri ſelecti, quorum unus Sapientiſſimus, alter Juſtiſſimus, tertius Temperantiſſimus, quartus Fortiſſimus. Ac primus quidèm docet Magiam Zoroaſtris Filij Oromazi, quâ Deorum cultus continetur, Alcibiade, I.* Eubulum citat de Mithræ Myſteriis Porphyrius de Anim. abſtinent. Et in Comm. de Nymphar. Antro: *Primus* inquit, *apud Perſas Zoroaſtres, ut narrat Eubulus, naturalem ſpeluncam fontibus ſcatentem, in proximis Perſidi montibus, conſecravit, in honorem rerum omnium autoris & parentis Mithræ: ut per ſpeluncam quidèm mundum ſignificaret fabricatum à Mithrâ; per alia verò intùs, congruis intervallis diſpoſita, elementa & plagas mundi delinearet, &c.* De hoc Spelæo plura Lilius Gyraldus de Diis Syntagm. 7. p. 226. & indè Biſſelius. Depingit tale nobis antrum S. Ezechiel, in ipſo DEI Templo extructum, Magicisq; Sacris operantium diras cerimonias & ſuffumigia, cap. 8. ℣. 8. 9. 10. 11. *Cteſiam* laudatum Arnobio pòſt audituri ſumus. Reliquos &

alios

alios adducit Plinius: *Magia sine dubio orta in Perside à Zoroastre, ut inter autores convenit. Sed unus hic fuerit, an posteà & alius non satis constat. Eudoxus, qui inter Sapientiæ sectas clarissimam utilissimamq́; eam intelligi voluit, Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit. Sic & Aristoteles*, in Magico scil. quem librum citat Laërtius in princ. *Hermippus*, junior his, *Smyrnæus puto* ille Callimachius, cujus historiæ de Pythagorâ, Septem Sapientibus, Aristotele, & sæpiùs ab Athenæo, Josepho, Plutarcho, &c. citantur, *Præceptorem ejus Azonacem tradidit; ipsum vero quinq; millibus annorum ante bellum Trojanum fuisse, &c.* Hæc Plinius l. 30. cap. 1. Secutus Eudoxum in temporis consignatione est Hermippus; ut & *Hermodorus Platonicus in libro de Disciplinis, qui à Magis eorumq́; principe Zoroastre Persâ, utq; ad excidium Troja computavit annos quinquies mille. Xanthus verò Lydius â Zoroastre usq; ad Xerxis transitum annos numerat sexcentos; post autèm Magos plurimos sibi invicèm successisse, Hosthanas, Astrampsychos, Cobrias, ac Pazatás, donec ab Alexan-*

Alexandro everſum eſt regnum Perſarum. hæc Laërtius, l. 1.

2. In his Teſtimoniis obſervandum eſt. 1. Agi de uno quodam Zoroaſtre, Magiæ inventore apud Perſas, quiq; his *Mithræ ſpelæum* tradiderit. 2. Eum antiquisſimum, ipſoq; mundo vetuſtiorem nobis feciſſe *Eudoxum*, immani mendacio; quod tamen intra Græciam & ſtetit aliquantisper,& occubuit. 3.Nec defuiſſe *fingendi cauſam;* quod Magiam ſuam ita vellet commendare,non tantùm à dignitatis & utilitatis; verùm etiàm à laude antiquitatis, *quod in Plinio non perfunctoriè notandum eſt.* 4. At prudentiores reſpuiſſe tàm impudens figmentum, Zoroaſtrenq; multo demonſtrâsſe juniorem. 5. Hinc evenisſe, ut diſceptatum fuerit; *unus fuerit, an & poſteà alius?* Adeoque 6. ne olìm quidèm, ante annos ferè bis mille,conſtitisſe,vel de ætate quâ vixerit, vel de Perſonâ, quis quotusve fuerit? Hæc obſervâſſe ex re erit.

SECT.

SECTIO. 3.

Recentiorum Paganorum & Ecclesiasticorum narrationes, & undè desumptæ?

QUid Hermippus & antè Eudoxus, impio ſtudio ſceleratas Magorum damnatasq; communi quodam ſenſu hominum artes celebrandi, de Zoroaſtre fabulati ſint, ex fragmentis ſolis ſparsìm eruendum eſt. Hinc puto eſt, quod *Dio Pruſæus* habet. *Orat.36. Boryſthenicâ:* Perſas, *inquit*, referre de Zoroaſtre, quod amore ſapientiæ & juſtitiæ ſecesſerit ſolus ab hominum commercio, vitamque egerit in monte quodam. Eveniſſe autem aliquandò, ut mons igne cœleſti totus colluceſceret, & ardere videretur. Cumq; Rex vota facturus propiùs cum Proceribus accesſiſſet, emicuiſſe hunc è medio igni illæſum, jusſiſſeq; ; bono eſſent animo, ac Deo adventanti certa peragerent ſacrificia. Ex eo converſari ſolitum cum hominibus, ſed non promiſcuè omnibus: verùm cum iis ſolis, qui

digni

digni essent divino congressu, quos Persæ Magos vocent, &c. *hæc ille* imperante Trajano. Tabulam ex Mosaicâ historiâ confictam obiter moneo, probabo mox. Interìm meminit appositâ virgulâ censoriâ *Arnobius*, & Hermippi fuisse indicat: *Age*, inquit, *veniat nunc, quæso, per igneam Zonam Magus ab interiori orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur autori*; scil. si Djs placet Homericis; *Bactrianus: & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas, historiarum exponit in primo, qui ille? Armenius Zostriani nepos, & familiaris Pamphylus Cyri*: hoc Arnobius l. 1. ubi aliqua notanda. 1. Duorum non trium, aut quatuor, Zoroastrum mentionem facit, ut dicam. 2. Priorem Bactrianum *Hermippi* manifestè explodit. 3. Subinnuit fabulatum hunc, quod ex igne, in quo illæsus vixerit, per flumineum ignem abreptus fuerit in Zonam igneam, ubi cum Djs immortalibus ævum exigat: de quâ opinione egi in S. Anelect. Volum. 1. l. 2. cap. 28. ubi docui; statuisse gentiles, flumine tactos Deos evadere. Deniq; 4. *Ctesiam* significat Eudoxi commenta jam tùm

ſtatìm refutâſſe, docuisſeq;, Zoroaſtren Cyri temporibus fuiſſe, quod poſteà plures aſſeruerunt. Colligo; quod libro primo hiſtoriarum, ut & ſeqq. quinque, egerit *de Rebus Aſſyriorum*, ſeptimo demùm exorſus conſcribere *Perſica*; deindè quod Herodoto in omnibus ferè adverſatus mendaciorum eum plurium accuſaverit, fabularumque confictorem appellârit; ſolitus quoque cæteris Græcis Scriptoribus frequenter contradicere, iisque peregninarum hiſtoriarum ignorantiam fabulandiq; ſtudium opprobrare. Hinc ſcriptores poſteriores alij Eudoxum & Hermippum, alij Cteſiam ſecuti, duos nobis produxêre Zoroaſtres. *De Cteſiæ Perſicorum libris XXIII, vide Photium in Bibliothecâ Cod. 72.* Meminit Zoroaſtris pariter, non ſine deriſu, *Theon Sophiſta* in Progymnaſm. de Comparat. *Non*, inquit, *ſi Tomyris illa Maſſagetis; aut Sparedra Amogi Sacarum Regis conjux, fortior fuit Cyro: aut etiàm*, NÆ PER JOVEM, *Semiramis Zoroaſtre Bactriano; conficitur, muliebrem ſexum virili fortitudine præſtare.* Alludit ad *bellum, quod Nino poſtremum*

fuiſſe

fuiſſe finxerunt Eudoxi ſectatores *cum Zoroaſtre Bactrianorum Rege; qui primus artes Magicas invenerit, mundiq́ principia & ſiderum motus diligentiſſimè ſpectârit; quo occiſo & ipſe Ninus deceſſerit* Juſtinus ex Trogo. De morte tamen aliter alij: *Suidas*: Hunc, *inquit*, ſub Nino precatum ajunt, ut cœleſti igne abſumeretur: monuisſeq́; Aſſyrios, ut cineres ſuos aſſervarent; ita regnum ipſis fore æternum. Noſtri alij *Chamum*, alij *Miſraimum*, alij *Nimrodum*, fuiſſe Zoroaſtren tradiderunt. *Beroſus* Annij Viterbienſis narrat *Chamesenum toto orbe pulſum tandèm apud Bactrianos regnaviſſe, quos Magicis ſibi præſtigiis devinxiſſet: victum deniq́ obtruncatumq́ vitam finiiſſe*. Rabbini Chamum idola & ignis cultum reperiſſe produnt. Hinc *Clemens* Recognitionum l. 4. *Cham*, inquit, *unus è Nohæ filiis Misraimo filio ſuo, à quo Ægyptiorum, & Babyloniorum, & Perſarum ducitur genus, malè compertam Magicæ artis tradidit diſciplinam. Hunc Gentes, quæ tunc erant, Zoroaſtrē appellaverunt, cujus nomine etiàm libri ſuper hoc plurimi habentur. Hic volens DEUS haberi, ſcin-*

tillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostentare cœpit. Sed cùm sæpiùs hoc moliretur à Dæmone, quem importuniùs frequentabat, igni succensus concrematus est. Stulti illi, tanquàm amicum DEI, & fulminis vehiculo ad cælum sublevatum, adorare ausi sunt, & quasi vivens astrum, hoc enim nomen post mortem accepit Zoroastres, coluerunt. Quo exemplo, etiàm nunc pagani eos, qui fulmine obierint, sepulchro honoratos, tanquàm DEI amicos colunt, hæc ille, quem *insanorum mendaciorum scriptorem* vocat Baronius: eruditus tamẽ, quod vel hic locus indicat, expressus, ut puto, ex Hermippo: in quo cùm alia, tùm hoc præcipuè notatu dignum; Zoroastren hoc nomen ab obitu accepisse, postquàm stultâ persuasione in DEOS relatus esset. *Solent enim mortuis consecratis nomina immutari: credo, ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est; & Leda Nemesis; & Circe Marica; & Ino, postquàm se præcipitavit, Leucothea, materq; Matuta; & Melicertes filius ejus Palæmon atq; Portunus, Lactantius* l. 1. cap. 21. Sic olim

Nimro-

Nimrodo nomen factum Belus. ut dixi Sect. 1. & Osiridi Serapis. &c. *Epiphanius* Nimrodũ censuit, esse aut Nimrodo certè coævum, *in Panarij princip.* Ita *Eusebius* in Chron. & l. 10. de Præparat. ubi dixit, *Abrahamum Nini, Semiramidis, & Zoroastris fuisse temporibus.* Gregorius Turonensis l. 1. Histor. cap. 5. *Primogenitus*, inquit, *Chami Chus. Hic fuit totius Magicæ artis imbuente Diabolo & idololatriæ inventor. Hic primus statunculam adorandam Diaboli instigatione constituit: qui & stellas & ignem de cœlo cadere, falsâ virtute, hominibus ostendebat. Hunc Persæ vocitavêre Zoroastren, id est, viventem stellam: ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum divinitùs igne consumptum, ut Deum colunt.* Voëtius in Disp. de Gentilismo refert ex *Elichmanno*, testari Arabes & Persas, *Zoroastren non fuisse Bactrianorum Regem, verùm Magum & Psedoprophetam, qui primus Bactrianis, persuaso Rege illorum, novam superstitionis formam tradiderit, cujus reliquiæ adhuc hodiè supersint*: & ex Pocoki Angli specimine historiæ Arabum; *nomen ei fuisse Zaradusht, qui Persa-*

rum Magorumq́; religionem, in varias divisam sectas non primus instituerit, sed reformârit. Plura testimonia deinceps suis locis audiemus. Hæc nunc ad limam & lineam revocabimus, visuri; an recto tramite invento ad veritatis venire possimus compitum!

SECTIO 4.

Problemata quædam de Zoroastris nomine, & rebus gestis?

I. *QUodnam ejus nomen verum?* Persas & Arabes *Zaradusʃit* apellare modò audivimus: *Zasradem* habet Theodorus Mopsuestenus; *Zaradam* Theodoretus: loca mox citabo: Græci & cæteri *Zoroastren*. Utri ab alterutis mutati in suam linguam reformârint, quis dixerit? Credo tamen à Græcis fictum: usurpâsse Persas seriùs, invidiâ & ambitione. Primò, quia nullum puto extare Scriptorem, aut etiàm extitisse unquàm, qui de Zoroastre ante Græcos quicquam in literas miserit. Persarum Arabumque monumenta

menta recentiora sunt, de quibus suo loco. Deindè quia *Pythagoras primus omnium Zoroastris nomen ἐδήλωσεν*, ut docet Polihistor *Clemens Alexandrinus l. 1. Stromat.*

2. *Quid significet?* ἀστροθύτην, ut Laërtio teste prodidit Dinon Histor. lib. 15. Sic Josephus Scaliger; nec *hoc, ut alia multa, divinavit*, ut putabat Bisselius. *Astarten* Syris & Babyloniis ab *astro* dictam Suidas notat. Ab eâdem origine derivant nomen *Esther*, ut Serarius & Cornel. à Lap. notat. Verisimile est, Græcos, Latinos, ipsosq; Germanos, nomen hoc astri, ein Stern/ à Persis & Chaldæis accepisse. Vide Gravij Element. Linguæ Persicæ p. 91. Nam & alia non pauca cum Persis Germani communia habent vocabula, ut post alios docuit *Michaël Piccartus orat. de Ortu & Migrat. Veter. Germanor.* Nec alienum est, quod à סתר *satàr* latuit derivant quidam nomen *Esther*: nam & indè stellæ *Saturni* nomen, & in Libano *Astarte* vultu tristi, *capite obnupto*, colebatur ficta, ut apud Macrob. 1. Saturnal. cap. 21. habentq; stellæ sua latibula, & interdiu *abscondunt se* omnes. Hoc si

certum, de altero nomine, ex quo compositum eſt hoc Zoroaſtris, res plana eſt. Extat illud in *Zorobabelis* nomine, quod *ſatum in Babylone*, ſignificat. Quare Zoroaſtrem dixit Magum, Magiſtrum ſuum, ut dicam, Pythagoras, q. d. *Semen, aut Filium Aſtri*, & quod non adeò abſurdè ſtatuit, Clemens Recognitionum autor, *Vivens Aſtrum*. Sic *Zarëtis* dicta fuit Perſis *Luna*, quod naſcendi ſemina conferat, apud *Heſychium*. Ac puto equidèm, Pythagoram nomen hoc ex Prophetiâ Danielis accepiſſe: nam quia Magus iſte, júſtitiam imprimis coluiſſe, & ad eam multos erudiiſſe creditus fuit, ut ex Dione Pruſæo diximus, ſect. 3. conſequenter putabatur in *Stellam viventem* abiiſſe, Daniel. 12. 3. Quod proverbiale videtur fuiſſe, apud Orientis populos, confer. Sirac. 50. ℣. 6. Apocal. 1. ℣. 20. &c. Floruit autèm Pythagoras *ab Olympiade LXII*, quâ obiit Cyrus, ſub Cambyſe & deinceps, usq; ad Olympiadem *LXX.* atq; adeò annis poſt Danielem ejusq; exceſſum aliquàm multis. Ergò autor nominis Græcus, πολύγλωττος: origo barbarica.

3. *Unús-*

3. Unúsne an plures Magi hujus nominis? Non unus, ſed multi: nam Goropius nugatur, qui nullum putat fuiſſe: *ſic Delrio l. 1. Disq. Mag. cap. 3.* ſex recenſens: *Primum*, Chaldæum Magiæ inventorem, de quo Hermippus: *Secundum* fortè Bactrianum, qui cum Nino bella geſſerit: *Tertium*, qui & Erus dictus, ſive Armenij filius, ſivè Oromazi. Arnobius, inquit, *quatuor* commemorat, Chaldæum, Bactrianum, Pamphyliũ genere & Armenium: *Quinti* meminit Suidas Aſtronomi, gente Perſomedi: *Sextus* fuit Proconneſius, de quo Plinius. Sed ſi quis calculos ita ponat, plures conficiet, quàm ſex. Ratio illa, quâ plures Zoroaſtres fiunt, ex diſcrepantiâ Scriptorum de Patriâ & Patre, nihili eſt. Quot illa nobis excuderet *Homeros?* nam *neq; de Parentibus, neq; de tempore vitæ conſentiunt* autores, ut Cicero, Plutarchus, aliiq; teſtati. Ita *Pythagoram alij Thuscum, alij Syrum, alij Tyrium prodiderunt*, apud Clement. Alexandr. 1. Stromat. Itaque rectè advertit *Biſſelius*, eundem Zoroaſtrem & patriâ Armenium, & inſtitutione Chaldæum, & habita-

tione Perſen, aut Medum, aut Perſomedum, & regno deniq; Bactrianum dici potuiſſe: ut & Delrio ipſe; eundē Erum Armenij & Oromazi filium. Apud Arnobium duos tantùm deprehendo: alterum *Hermippi*, à Magis infamiumq; artium præconibus confictum, quem palpabili mendacio ipſo humano genere & mundo antiquiorem fecerunt: alterum, *Cteſiæ* verum, ſed fabulosè deſcriptum, poſteá: *Proconneſius*, nomen ſi accepit Zoroaſtris, ſtulto zelo Græcorum accepit. De his diſtinctiús.

4. *Quid de Bactriano Nini armis domito?* Nugæ meræ! *Diodorus Siculus* ἐνδοξότατος ἱστοριογράφων bellum Nini Bactrianum cum curâ exſequitur l. 2. cap. 6. Hoſtem, Regem Bactrianorum, *Oxyarten* vocat, Zoroaſtris nuspiàm meminit: [niſi is fortè *Zathrauſtes* eſt Arianorum Legislator, lib. 1. cap. 94. ex interpret. Rhodomanni.] Sic apud Juſtinum legi debere cenſent viri docti, de quo aliquid *Voſſius* de Hiſtor. Lat. Sed cùm hæc ſcriberem, non erat ad manum. Ego apud Trogum Zoroaſtrem reperiſſe non infi-

ciabor,

ciabor, putoq́; legisſe hoc nomen apud Hermippum, qui primus Eudoxi fabulas interpolavit. Nam & alij fortè, ut Theon Sophiſta, belli hujus Nino geſti cum Zoroaſtre meminêre; hic tamen, ut obſervavimus ſect. præced., cum apertâ improbatione. Tenetur Hermippus immanis mendacii reus, indignusq́; eſt, cui fides habeatur. Hoc enim operæ pretium faciunt mendaces. Adhæc cætera, quæ Juſtinus, quæq́; alij de Zoroaſtre narrant, arena ſunt ſine calce: ut; quod iſte perhibet à Nino *occiſum*; quippè qui eum *pugnâ oppresſum interfecerit*, ut Juſtinum ſecutus expoſuit Oroſius l. 1. cap. 4. Cæteri, *fulmine conflagrâſſe*, ferunt. Conciliationem, quam Biſſelius inſtituit, acutam agnoſco: veram probari cupio. Nec ea neceſſaria eſt, ſi Juſtinus de *Oxyarte* locutus eſt; cæteri, de *Zoroaſtre*, vero & unico illo, de quo deinceps. Patres rem Græcorum fide indiſcuſam recitârunt, ut argumento inſervirent aliquando viſi approbâſſe; ubi tamen examinare oportuerat, verum non disſimulantes. Sic *Arnobius* contra Gentes ex hypotheſi diſpu-

diſputat, & ad perſonam, ut loquntur, ex conceſſis: *Inter Aſſyrios & Bactrianos Nino quondam Zoroaſtreq́; Ductoribus, non tantùm ferro dimicatum & viribus; Verùm etiàm Magicis & Chaldæorum reconditis diſciplinis*, lib. 1. Præmiſerat autem; *ut ante millia annorum decem, ab inſulæ, quæ perhibetur Atlantica Neptuni, ſicut Plato demonſtrat, magna erumperet vis hominum, & innumeras funditùs deleret atq; extingueret nationes, nos fuimus cauſa?* Qui credit hanc fabulam credidisſe, næ nimiúm quantum credulus ſit oportet! Ejusdem commatis eſt, quod ſequitur: *Helenam Diis Ducibus atq; impulſoribus raptam, & ſuis fuiſſe dirum & venturis temporibus fatum, &c.* Fabulas ergò meras contexit Arnobius, ridetq́; ſtultam æquè Gentilium argumentationem contra Chriſtianos, & in mentiendo vanitatem credulitatemq́;. Sic alij. At *S. Chryſoſtomus* de S. Babylâ Martyre diſertè; *Zoroaſtris*, inquit, *& Zamolxis neq; nomina noverat, neque opera. Quoniam figmenta ſunt, de iis quæ circumferuntur, omnia. Qui hiſtoriam de rebus eorum conſcripſerunt, magni fuerunt*

artifices, quâ mendaciorum, quâ elegantiæ orationis; quæ citat & probat Scipio Gentilis ad Apuleij Apologiam.

SECTIO 5.

Quæ Zoroaſtris vera aut veriſimilis hiſtoria? & cur fabulis interpolata?

MEa ſententia ſic habet; quomodò olìm *Jannes & Jambres*, ac Chriſto Domino *Simon Magus*, *Apollonius Thyanæus*, aliiq;, Diaboli fraude, oppoſiti fuerunt; ſic quo tempore ultimi Prophetarum floruerunt, gloriamque anteceſſorum ipſiusque Eccleſiæ, & ſacra illorum oracula, toto latè Oriente concelebrârunt, quondam extitiſſe Magum inſignem, à Diabolo productum, ut illorum obſtrueret luminibus. Is quo proprio nomine fuerit, incertum videtur. Credam tamen vel *Erum* fuiſſe vel *Ariſtæam*, vel his duobus idem tributum nomen, ut *Zoroaſtres* dicerentur: ſtultâ fortè & ambitiosâ uſurpatione, aut poſt mortem in-

digita-

digitatione. *De Ero* refert Plato l. 10. de Repub. *quod duodecimo ab obitu die in rogo positus revixerit:* narrat rem incredibilem, *Valerius Maximus l. 1. cap. 8.* Non tamen aſſentior Biſſelio, qui *delirare, ac plus nimio Cacodæmonũ potentiæ tribuere putat*, ſi quis hoc fieri potuiſſe ſtatuat. *Revixiſſe* dicitur etiàm is, qui ſpiritum recepit, poſtquàm diu mortuo ſimilis jacuisſet. Sic Aſclepiades ille inter præcipuos Medicorum, mortuum, jam pollinctum, in vitam revocâſſe dicitur, cùm latentem in eo vitam deprehendisſet, *apud Apuleium 4. Florid.* Sic ſunt Diaboli miracula; meræ præſtigiæ, ſolo eventu dignoſcendæ! Potuit illæ ſuperiore ſeculo Anno 1591. & ſequente cadaver ſutoris Magi, qui gulam ſibi præciderat, in ſepulchro conditum, in octavum utq; menſem, integrum, incorruptum, carnis etiam muſculoſæ accesſione inſigniter auctum, novâ cute veſtitum, articulorum nervis flexilibus, conſervare: cui jusſu Magiſtratus eruto & protracto, cùm carnificis manu cor eximeretur, integrum illæſumque repertum fuit, quale in recens mactatis vitulis; refert

refert hiſtoriam, aliamque planè geminam de Johanne Cuntio Conſule oppidi Peutſch/ *Weinrichius in præfat. Joh. Franciſci Pici Mirand. Strigis.* An Diabolus poſſit facere, ut homo verè reſurgat? tractatum à *Delrio* eſt, *Disquiſ. Mag. l. 2. Quæſt. 29. ubi rectè* reſpondet: *multas eſſe ſolere Dæmonum illuſiones circa hujusmodi. Corpora Eri & Ariſtææ vera ſurripuiſſe, alia pro iis aërea ſubſtituiſſe; vel ipſum eorum ſubiiſſe exuvias, &c.* Nam de *Ariſtæâ* Herodotus ſimilem narrationem habet: *Eum in fulloniâ Proconneſi deceſſiſſe; eodem tempore viſum Cyzici; & cùm à propinquis cadaver in officinâ fullonis quæreretur efferendum, nuſpiàm comparuiſſe: ſeptimo poſt anno reverſum in patriam, verſus eos edidiſſe, qui pòſt Arimaſpei dicti, &c.* Suidas notat, *vixiſſe Cyri & Cræſi ætate, animam ejus è corpore, quoties vellet, exire ac remeare potuiſſe.* Quale eſt, quod de Reſtituto Presbytero narrat *Auguſtinus l. 14. de Civ. DEI cap. 24.* qui, quandò placebat, ita ſe auferebat à ſenſibus, & jacebat ſimillimus mortuo, ut non ſolùm vellicantes & pungentes minimè ſenti-

ſentiret; ſed aliquandò etiàm igne ureretur admoto, ſine ullò doloris ſenſu, &c. Hunc Ariſtæam cum Zoroaſtre Medo inter Ethnicorum divinos recenſet Clemens Alex. 1. Stromat. Nec puto dubium eſſe debere, quin is ille ſit *Zoroaſter Proconneſius*, quem Plinius ait, ante Oſthanem de Magiâ ſcripſisſe, l. 30. cap. 1. cui vel Græcorum æmulatio nomen hoc indiderit, vel ipſe, æmulus alterius in Oriente celebris, & non ita pridèm defuncti, ſibi aſſumpſerit. Sic *Erus* fertur, poſtquàm ab inferis rediit, librum edidisſe, cui titulum hunc inſcripſerit: *Conſcripſit hæc Zoroaſtres Armenij Filius, genere Pamphylus, qui in bello mortuus, apud inferos cùm eſſem, à Diis talia didici*, apud Clement. Alex. 5. Stromat. Platonis fabula citata, ex tali libro petita videtur; aut certè liber ex iſtâ fabulâ compoſitus. Atq́ue hic eſt ille Zoroaſtres *Cteſiæ* familiaris Cyri, comesq́ue expeditionum ejus, Armenius Zoſtriani nepos. Quanquàm Erum ipſum fuiſſe nòn affirmem. Potuit libri iſtius autor nomen hoc ſibi, quæ fraus non nova nec ignota eſt, imponere. Cercum

tum interim vixiſſe Cyri ævo Zoroaſtrem aliquem Magum famoſiſſimum, cujus gloriæ plurimi inviderint, nomenq; uſurpare quidam jam tùm auſi fuerint: atque Diaboli dolo excitatos, in aciem contra DEI Prophetas, inter Gentes inclareſcentes, prodiisſe Magos iſtos. Ac *Cyro* quidèm *ætate ſupparem fuisſe Zoroaſtrem*, plures adſtipulantur. *Pythagoræ Doctorem* fuiſſe dixit Apulejus: *Sunt*, inquit, *qui Pythagoram ajant, inter captivos Cambyſæ Regis, Doctores habuisſe Perſarum Magos, ac præcipuè Zoroaſtrem, omnis divini arcani antiſtitem*, 2. Florid. unde & idem eundem *Zoroaſtris ſectatorem* appellavit, in Apologiâ. Sic *à Pythagorâ Zoroaſtrem Græcis innotuisſe* dixit Clemens Alexandr. ſuprà Sect. 4. Quæſt. 2. Meminit quoq; ejus *Nicolaus Damaſcenus* in Excerptis Peireſcianis, p. 461. loco mutilo, quo tamen videtur dicere; *extincto cælitùs Cræſi rogo, ipſoq; ſervato, legem tulisſe Perſis, cadavera igni comburerent;* ubi aliter ſentit in notis *Valeſius*, ſed vide & judica. Certè *Agathias* quoq; prodit: *Perſas ipſos affirmare, Zoroaſtren Hyſtaſpis tempore floruisſe:*

isse: illius indubiè Magi, qui Darii Regis Persarum pater fuisse fertur, de quo ex *Ammiano Marcell.* infrà. Conspirant recentiorum Persarum & Arabum traditiones suprà Sect. 3. Idemq;, confirmant ipsæ ejus leges religionesq;, quas Persis sanxisse legitur, seorsìm expendendæ. Hinc multa Persæ, & Græci posteà, ut fœcunda sunt mendacia, de eo commenti, quædam etiàm vera fortè retulëre; ut omnes ferè Gentes constat Legum latores suos divino quodam commercio augustiores facere voluisse. Sic creditum vulgò, *Deos, cùm Zaleuco, Minoë, Zoroastre, Numâ, Lycurgo congressos, leges & præcepta ordinanda Reipub. illis tradidisse*, Plutarchus ait in Numâ. Talia sunt, quæ Plinius, ut divinioris naturæ præsagia refert; quod nascens riserit: quod cerebrum ita palpitaverit: quod solo caseo tot annis vixerit, l. 7. cap. 16. & 11. cap. 42. Item; Patrem ei fuisse *Oromazum* Deorum summum: Magiam θεουργικὴν invenisse: non tamen simpliciter; sed *in Perside*, ut habet idem Plinius. [Quanquam nec hoc adeò planum sit; sivè *à Perseo, sivè à Medeâ, aut Medusâ.* *Me-*

Medorum genti Magicæ furor artis inhæret,

ut canit Avienus de Situ Orb. Nam & *Persea* Persis ignem, fulmine delatum coelitùs, colendum dedisse, sunt qui tradant, ut Tzezes & Cedrenus &c.] Hanc autèm tanti æstimaverant, ut ex eâ, *summam literarum claritatem gloriamqúe petiverint, eamq́ in arcanis habuerint*, ut habet Plinius. *Differre eam Magiam à Goëtiâ & Pharmaciâ*, etiam ex nostris quidam statuebant, ut Nonnus in Greg. Naz. 1. steliteuticam: *adeoq́ non esse aliam, quàm rationem invocandi Bonos Dæmonas, ad aliquid boni impetrandum.* Sed Billius interpres rectè: *vix hoc pio cuipiam probabit Nonnus.* Et tamen tale discrimen esse inter *Magiam Persicam atq́ Ægyptiacam*, uon pauci eruditorum putant, qui Magos Evangelicos, Gentium primitias, infames artes calluisse negant, quâ de e in S. Analect. Volum. 1. *Pyromantiæ* deniq; operatum facilè annuam, solium ignes coelestes elicere, & eorum afatu interiisse: quod & Tullio Hostilio Romanorum Regi accidisse Piso aliiq;

testantur, refertque Bisselius parallelanum 14. Potuit hoc Cacodæmonis operâ, vel fieri divino permissu, vel certè fingi, ut Mosi, ut Eliæ, Prophetarum principibus, quoquo modo parem faceret Zoroastrem (confer S. historias Exod. 3. 2. & 34. 29. 2. Reg. 2. fabulasq; de illo recitatas Sect. 3. & judica ἄνευ προκρίματος) ut autèm etiàm superiorem; tot annorum millibus antecessisse mentiri ausus est Pater ille mendaciorum omnium. Audi Plinium: *Est*, inquit, *& alia Magices factio, à Mose & Janne, & Jotape*, Josephum videtur voluisse dicere, *Judæis pendens; sed* MULTIS ANNORUM MILLIBUS POST ZOROASTREM, lib. 30. cap. 1. cit. En tibi apertum Diaboli strastrategema! Nec parum adjuvit nefariam fraudem, stulta Gentium super Zoroastre concertatio, quâ evenit, ut aliis aliisq; eum sibi vindicantibus, & Chaldæus, & Armenius, & Perses, & Medus, & Bactrianus, & Pamphylius, & Proconnesius; quin etiàm à Rabbinis modò Chamus, modò Misraimus, modò Nimrodus, modò etiàm Abrahamus ipse haberetur:

retur; cùm è cerebro Eudoxi Magi is ipſe, de quo tanta erat æmulatio, putidisſimum eſſet figmentum, veruſq; ille Zoroaſtres, familiaris Cyri, χθὲς καὶ πρώην ut ajunt, vivere deſiisſet.

Sectio 6.

Quæ Zoroaſtris Theologia? undè orta? & quàm antiqua? Perſarum olìm quæ ſuperſtitio?

HOc argumento, puto, clarisſimè conſtare poſſe; Zoroaſtren illum famigeratum, poſt pleroſq; Prophetas, ſub Cyri imperio floruisſe, notamque Perſarum, tùm exortam, Rempub. legibus & religionibus firmâſſe. Scripſit olìm *Theodorus Mopſveſtenus de Perſicâ Magiâ, libros tres*, quorum argumenta exhibet Photius Cod. LXXXI. Ac in primo quidèm egerat, *de impiâ Perſarum doctrinâ, quam* ὁ Ζαρασράδης id eſt, Zoroaſter, *invexerit: nempè de Zaruam autore univerſi, cui & Fortunæ nomen indiderit: tùm quomodò ille &*

Hormisdam & Satanam genuisset, deq; eorum αἱμομιξίᾳ *sanguinis commistione.* Zasrades hic est, qui aliis *Zarades*, cujus legum meminit Persis latarum, *Theodoretus serm. 9. de Cur. Græc. affect.* quibus ipsis incestuosas nuptias, cum matribus, & sororibus, & filiabus, permisisset. *Zaruam*, Materia est, mater omnium seminum: sic enim Syriaco vocabulo dici potuit, Chaos illud æternum, è quo *Fortunâ* obstetricante omnia exorta esse, plerique Morosophi gentilium delirabant. Et ab hoc sibi Numine videtur nomen imposuisse Zoroastres, q. d. se esse *Zaruami astrum.* Exindè prodiêre duo principia contratria: *Hormisdas*, id est, *Oromazos* & *Satanas* id est, *Arimanius.* Quorum nominum tria propria Syriaca, primum & secundum *sacrum lumen*; posterius *Adversarium*; at quod superest Græcâ origine, *immanè furiosum*, significant. Ab his, misto inter se contrario semine & sanguine, bona malaq; omnia, inter se confusa & commista, provenêre: Sic ille. Extat vestigium hujus profanæ Theologiæ Zoroastrææ *in Oraculis* eidem autori tributis, de quibus mox.

mox. *Plethon* eorum interpres obſervat: *Pythagoricos & Platonicos Zoroaſtrem ſecutos; Res univerſas ab eo in tres claſſes fuiſſe diſtributas: primæ ab eo eſſe præfectum Oromazen, quem oracula appellent, Patrem; alteri Mithram, quem eadem nuncupent Mentem ſecundam; Tertiæ Arimanium. Oromazen ſolis, qui περσιϛὶ Cyrus dicatur, τριπλάσιον: Mithran eſſe διπλάσιον. Res primi eſſe æternas: alterius, ortas quidèm in tempore, ſed non interituras: Tertij vero, morti & interitui obnoxias,* hæc ille. *Pſellus* in ἐκθέσει eorundem oraculorum docet: *Chaldæos ſeptem mundos ſtatuiſſe: primum, empyrium: Tres ætherios, & tres ὑλαίυς elementares: Principium verò unicum, quod* ἓν καὶ ἀγαθὸν *profiteantur: colere autem Abyſſum quandam Paternam, Tribus Triadibus conſtantem; quarum quæq; habeat Patrem, Virtutem & Mentem.* Verſus Zoroaſtræ; oraculi, ad verbum, ſic habent:

Omnia perfecitq; Pater, Mentiq; ſecundæ
Tradidit hanc Primam, mortales dicere ſuêrunt.

Plutarchus de Iſide & Oſiride, luculentiùs exponit: Duos ſtatuebat eſſe Deos

Theologia, eosq; quasi ἀντιτέχνους: quorum alter bonorum, alter malorum fator & alter esset. Istum propriè Deum vocabant, & *Oromazen*: hunc Dæmonem, & *Arimanium*: illum *luci*, hunc *tenebris* ajebat similem: *Medium* & ideò Μεσίτην dictum *Mithram*. Utriq; sacra faciebant, alteri εὐκταῖα καὶ χαριστήρια, alteri ἀποτρόπαια καὶ σκυθρωπά. Quare, *ut apud Plinium quoq;, l.30. cap. 2. & seqq. insinuatur*, alias herbas aut animantia Bòno Deo, alia Malo Genio consecrabant: beatumque putabant, si quis ex Cacodæmonis censu plurima interfecisset. Hinc annua festivitas *Vitiorum interitus* dicebatur, quâ plurima venenata animalia conficere, summa fuit pietatis, *de quâ alibi*. Fabulabantur autem *Oromazen* ex purissimâ luce; *Arimanium* ex aterrimis tenebris ortum, *mutua semper inter se bella gerere*. Atque istum quidèm sex fecisse Deos; *Amicitiæ*, *Veritatis*, *Sapientiæ*, *Æquitatis*, *Divitiarum & honestæ Voluptatis*. Hunc verò totidem alios contrarios. Tùm verò Oromazen se triplicâsse, tantoq; à sole removisse spatio, quanto hic distaret à

errâ, cœlumq; ornavisse astris, quorum
ύλακα καὶ πρόοπ]ην fecerit Sirium. Posthæc
lios fecisse Deos, numero XXIV, eosq;
n Ovo posuisse: id ovum alios totidem
ıb Arimanio genitos perforâsse; itaq;
evenisse, ut bona malis passim commista
ıtq; interfusa sint. Esse tamen in fatis,
ffore tempus, quo bello, peste & fame huma-
ıo generi ab Arimanio adductis, ipse tandem
medio tollatur. Tum verò terram undiq; pla-
ıam & æquabilem; unamq; omnium homi-
ıum vitam ac πολιτείαν *fore, omnibus æquè*
eatis, unâq; linguâ utentibus, hæc apud
Plutarchum.

Hæc Zoroastris fuit Matæosophia, de
quâ quædam observatu digna notare
non abs re est. 1. Alia olim apud Orien-
is Gentes, totoq; ferè orbe, extra Ecclesi-
ım, de DEO rebusque divinis fuit per-
suasio. *Chaldæi* Solem & cætera cœlestia;
lia quidèm, ut *Deos Magnos*, alia ut ho-
rum *Consultores*, Θεοὺς βουλαίους, coluerunt,
este Diodoro Siculo. *Persæ* itidem: nam
n altissimis montibus *Jovi*, id est, *Cæli gy-*
ro, sacra faciebant: Soli item & Lunæ,
& Aquæ & Ventis, & Telluri: & his qui-

dem olìm Solis; deindè tamen ab Assyriis & Arabibus edocti, *Uraniam quoque Venerem* venerari cœperunt, quam Assyrii *Milittam*, Arabes *Alittam*, Persæ *Metram*, id est Matrem, vocabant, *hæc Herodotus l. 1. de Zoroastræis principiis contrariis*, altum apud utrumq; silentium. Sic *Sabæi quoq; Nabathæiq; Arabes*: Mundum esse æternum: Deum summum esse Spiritum sphæræ cœlestis, vel cœli Animam: ejus administros, spiritus cæterarum stellarum: Solem esse Deum Magnum, rectorem mundi superioris & inferioris: Quod si certis artibus, conceptisq; verbis, imagines Soli & stellis dedicentur, fore, ut earum vires & efficacia in eas influant, quò fiant animatæ & intelligentiâ præditæ, possintque futura hominibus prædicere. Soli igitur aureas, Lunæ argenteas, cæterisque ex suo cuilibet metallo proprias consecrabant imagines; arbores etiàm certas, quas Numini Planetarum putabant esse cognatas occultâ sympathiâ, certis dedicabant cerimoniis, cultuque peculiari venerabantur: rati virtutes siderum iis iri infusum, foreque ut ora-

culà

cula suis fundant cultoribus, & divina immittant somnia, *hæc & alia R. Moses Maimonides in More Nebuch. p. 3, cap. 29.* Nec alia erat *Ægyptiorum* de Djs opinio, ut suo loco dicam. Quæ omnia S. literarum testimoniis confirmantur. Hæc ratio superstitionis, multis ante Zoroastrem seculis, inter istas Gentes nationesq; fuit: orta à Canaitis ante diluvium; post per Chaldæos, Sabæos, Ægyptios propagata, & in universum terræ orbem disseminata, *Genes. 4.26. Deut. 4.19. Job 31.26, 27, &c.* Quæ cùm planè Magica & Theurgica fuerit, patet. 2. vanum esse, quod Plinius affirmavit, *Magiam in Perside à Zoroastre ortam:* Osthanem, Xerxis comitem, semina sparsisse, obiter infecto, quâcunque commeaverat, mundo: addit *Bisselius*; ignaros priùs, intactosq; talium fuisse populos, quos Osthanes doctrinâ suâ fascinârit, & alia. Nisi de certâ quâdam Magiæ specie ista accipiantur. Verùm hæc aliis excutienda relinquo, & id potiùs observo 3. novam hanc Zoroastris doctrinam, cujus nec Herodotus, nec Xenophon, nec alius vetustiorum, qui quidèm

dèm extet, meminit, hauſtam fuiſſe partìm *ex Prophetarum oraculis* Iſraëlitarumque avitâ pietate, cùm malè percepta degenerâſſet in hos errores; partìm ex prioris ſuperſtitionis fæce: ſolitâ Diaboli aſtutiâ, quâ ex optimo divinæ veritatis mero, confuſis inolitis erroribus, peſſimum facit acetum. Veſtigia Propheticæ doctrinæ manifeſta ſunt, *de DEO Luce puriſſimâ.* Pſalm. 104. 2. Johann. 1. 5. &c. *de Principe Tenebrarum, & bello adverſus Deum* ἀσπόνδῳ Geneſ. 3. 15. *de Mente Secundâ, Soli juſtitiæ, Mediatore Mundi, qui & Pater & Mater ſit, cui Pater omnia tradiderit: de SS. Triade, ex Abyſſo Paternâ, &c.* inprimis *de Victoriâ contra Arimanium, ejusq; regni abolitione, deq; ſignis & calamitatibus præceſſuris, atq; ſecuturis beatitudine*, de quâ vide, amabò, tantùm *Eſai. 2. v. 1. 2. & 40. 4. Joël. 3. 17. Zephan. 3. 9.* & parallela, quibus Chiliaſtæ quoque abuti ſolent: ubi *verbotìm* iſta Zoroaſtræa: Quid? cenſebimus ne DEI Spiritum, *DEI* hæc Zoroaſtræa, *S. Prophetis* inſpirâſſe? aut furem deprehenſum tenebimus, furtumq; ſuis reſtituemus legitimis poſſeſſoribus?

ſoribus? Id ergò, 4. puto jam conſtare; novam hanc Perſarum religionem, cum Monarchiâ Cyri cœpiſſe; luctatam aliquantispet cum S. Prophetis, verâ de Deo doctrinâ, Cyro non incognitâ prorsùs; paullatìm poſt mortem ejus, ſub Cambyſe & Hyſtaſpis Magi filio Dario, convaluisſe: ſensìm à Pythagorâ, & Democrito, aliisq; in Græciam traductam; in arcanis tamen habitam fuiſſe, donec literis Oſthanis & Democriti imprimis celebraretur. Interim Orientem pervagata ad Indos venit, quorum *Brachmanes* hodieq; Zoroaſtrem ſequntur in quibusdam capitibus. Nec aliundè videtur apud Calecutios & alibi Nigri Cacodæmonis cultus. Tempore Apoſtolorum Domini *Scythianus* primùm, mox ejus ſucceſſores *Terbinthus & Manes* cum lege Evangelij miſcere conati, novis fabulis auxerunt, longè lateq; propagantes, ut *Epiphanius docet hæres. 66.* Iisdem temporibus Magi, ſub ſpecioſo *Philoſophiæ Pythagoreæ & Platonicæ* òbtentu, palàm portentoſas artes profeſſi, nomen & doctrinam Zoroaſtris, paucis priùs auditi, cœpêre quaſi

ebuc-

ebuccinare. Quæ nunc obiter notásse, pluribus deinceps demonstranda, ex usu erit.

SECTIO 7.

Pseudoprophetæ dominationis instrumenta.

LIbet paullùm à proposito digredi. Admonuit Zoroastres, Reges & Principes sæpe Magorum usos operâ ad populos vel primò domandos, vel & posteà in obsequio retinendos. Fuit hoc inter regnantium artes & sophismata, inprimis apud barbaros. Ἐυάλωτον γὰρ εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικόν, *Plutarch. in Sertorio.* Nulla res efficaciùs multitudinem regit, quàm superstitio: alioqui impotens, sæva, mutabilis; ubi vanâ religione capta est, meliùs jam vatibus, quàm ducibus suis paret, *Curtius l. 4. cap. 10.* Ita Pseudoprophetis suis, regno diviso, abusi Reges Israëlitarum, sivè decem Tribuum. Nam Prophetis DEI, qui toti in eo erant, ut populum rebellem & ad regimen

gimen familiæ Davidicæ, ſacraque adeò avita & priſtinas religiones, reducerent; niſi aſtutè illos oppoſuiſſent, diu duraturam ſcelere partam potentiam non eſſe, ſatis præviderant. At illi Regum Paraſiti, aulæ canes erant, offæ ac ventris causâ quidvis dicere ac facere parati, *ut Ezech. 13. 19. Mich. 3. 5. &c.* Sic ante ultimum Urbis Sanctæ excidium *multi*, ut ait Joſephus, *à Tyrannis ſubornati Prophetæ, populo denunciabant, ut DEI auxilium exſpectarent, &c.* l. 7. Belli cap. 11. Quod & futurum Dominus prædixerat, Matth. 24. 24. Sic etiàm poſteà exorti *Pſeudo-Chriſti* ſuos habuêre *Pſeudoprophetas*, eratque Antichriſtus habiturus ſuum aliquem Hyperaſpiſten, *vide Grotium in Matth. l. c, & Apocal. 13.* Sic *Zoroaſtres* Cyrum in tot expeditioribus; Sic *Oſthanes* poſteà Xerxem in bello, quod Græciæ intulit, comitatus: Ita Magi inſtrumenta fuerunt Perſicæ Monarchiæ, adolevitque *Magice in tantum faſtigij, ut Regum Regibus imperitârit*, ut ait Plinius l. 30. cap. 1. *Cùm hi nempè ad artis hujus ſcientiam omnia facerent*, Hieronym. in Daniel. nihilque

ritè

ritè aut auſpicatò fieri crederetur, niſi præcunte Mago. Par honos apud Gallos & Celtas olim *Druydarum*: ſine quorum conſilio nihil fas erat Regibus facere; ut ipſi potiùs regnarent; Reges tantùm adminiſtri eſſent eorum, quæ jusſisſent, *de quibus ex Dione Pruſæo & aliis Merula Coſmograph. l. 3. cap. 11. parte 2.* Eadem *Gymnoſophiſtarum* dignitas apud Indos: apud quos ſi quis ter in divinando aberrâſſet, perpetuo multabatur ſilentio; nec quisquam erat, qui indicto ſilentio cogere poſſet aliquem, ut loqueretur, *Arrianus de Alex. M. l. 8.* Quid *Numam* Romæ venerabilem; *Sertorium* in Hiſpaniâ potentem fecerit, quis ignorat? *Velledæ Virginis apud Bructeros autoritas valdè adolevit, cùm proſperas Germanis res & excidium Legionum prædixisſet.* Tacit. 4. Hiſtor. Quàm ſæpè rebus novis ſtudentes à Mathematicis ad ſpem imperii excitati, *Geneſi imperatoriâ* confictâ? *Genus hoc hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax*: ait Tacitus 12. Annal. *in civitate noſtrâ & vetabitur ſemper & retinebitur.* Verus Vates, *ut ait Cornel. à Lap. in Act.*

Apoſt.

Apost. cap.19. ꝟ. 19. Nam & hodiè ibi frequens admodùm est. Itaq; toties *Mathematicis urbs & Italia interdictæ: sicut cælum Angelis eorum: eadem pœna exilis est Discipulis & Magistris,* Tertull.de Jdolatr. Quam non paucis evenit principibus, ut vanis illorum capti pollicitationibus in exitium ruerint? *vide Alex. de Angelis in Astrolog. l.5. capp.* 11. & 12. Ita ergò Zoroastres Cyro familiaris, quasi *Deorum Amicus & Auditor*, leges suas Persis Barbaris persuasit, regnumque hero suo confirmavit Babylonium,

Humiles faciens animos formidine Divûm!

Quæ res ad multitudinem imperitam efficacissima est, Livio autore. Fuit autèm Diabolo Inferorum Regi gravis caussa, subornandi talem Ministrum suum, qui Cyri animum, pronum ad veram pietatem, averteret, novoq; artificio pristinis irretitum teneret superstitionibus. *Legerat enim*, ut commemorat Josephus, *Esaiæ Prophetias, inq; illis nomen & fata sua, ducentis & decem ante ipsum annis consignata. Itaq; admiratus vatis divinitatem, Templi, & urbis sanctæ ædificationem promo-*

vit, faviſſetque pietati porò magis, niſi Diaboli fraude, ſeductis Magorum vanis vaticiniis, bellis ſe implicuiſſet, quorum exitus tandèm fuit dignum ſpretâ pro pietate exitium. Pari ſtratagemate *Sophitæ*, ante annos abhinc ferè C. L., in Perſiâ imperium obtinuerunt, auſpiciis *Techellis*, ut refert Jovius l. 13. Hiſtor. aut *Schich-Haidaris*, de quo Hottingerus l. 2. Hiſtor.Orient.cap.6. Fuit is Iſmaëli Sopho, quod Cyro Zarades noſter. Videturq; voluiſſe æmulari. Nam in ſpeluncâ quâdam Antitauri montis multos annos commoratus, durisſimam egerat vitam, contentus iis, quæ terra ſponte dabat. Ergò ad eum paſtores primum ventitabant & ruriculæ: mox excita vaticiniorum famâ ingens undiq; confluxit multitudo. Hanc cum doctrinâ ſuâ de Hali Prophetâ, unico Alcorani Doctore, ſibi primùm obnoxiam feciſſet, poſteà ad audendum omnia promptam habuit.

SECT.

SECTIO. 8.

De Magorũ religione, & Zoroastre ejus Principe, Arabũ Persarumq́; hodiernorum relatio.

COmmodum accidit, ut cùm hæc ex Adversariis meis descripsissem, in manus meas veniret *Specimen Historiæ Arabum Eduardi Pocockij, Professoris Oxoniensis*, à Doctissimo Viro, Domino CHRISTOPHORO Arnoldo, Noribergâ ad me peramanter transmissum. Vidi cum magnâ voluptate Doctos in Oriente de Zoroastre planè mecum conspirare. Exscribam ex Notis integrum ferè locum, eumq́; cum bonâ pace huic Exercitationi inseram. Inquirendum, *ait Pocockius*, etiam in Magorum hæresin est, quã & Arabum quosdam secutos esse, ab autore libri *Mostatraf* accepimus. Siquidem & ipsa non parvã Orientis partem, Persiam præsertìm, & vicinas ei Gentes, ac Indos, quos & hodiè addictos habet, infecerat. Quod ad nominis rationem attinet, Origine Persicum statuit *Mohammet Al-Firauzabadius*, è duabus vocibus conflatum, scil. *Mije Gush*, quod hominem

curtis auribus denotat: Talis cùm fuerit primus sectæ Pater, indè nomen sortitum, quod & ad sectam suam transmisit. Quod si verum sit, conferri poterit cum iis, quæ narrat Justinus de auribus Mago à Cambyse præcisis. [*Nec dubito quin etymologiæ hujus autor eò respexerit, quam in ludibrium Magicæ sectæ excogitavit: is enìm Hebræorum, & qui eos sequuti sunt Arabum mos fuit, ut fictis venustè nominum etymis, quos deridendos suis proponebant, traducerent*] Invaluit autem usus, ut idem vulgò Arabibus & Persis sonet Magus ac ignis cultor. [*Inter Persica Proverbia, quorum Centuriam edidit Levinus Warnerus, est hoc*: Licet Gabor per centum annos accendat ignem, tamen si vel semel in eum incidat, comburitur. *Ubi notat editor, Gaber dici ignicolam. Quales ad hunc usq; diem in Perside snpersint, superstitionis suæ tenacissimi. Eadem vox occurrit in Thalmude tract. Schobbat*: Sub Ismaëlitâ habitandum potiùs, quàm sub Gaber aut Ghaver, *de quo plura Hottingerus in Thesauro Philolog. pag. 56.*] Ac certè ignem coluisse, eiq; Templa consecrâsse, honoris quem

Luci

Luci habent gratiâ, referunt *Scharestanius & Abul-Feda:* Fundamentum Magicæ religionis fuisse Venerationem *Lucis* & fugam *Tenebrarum*. Lucem illi DEUM primum, & ut loquuntur, *Radimañ* Antiquum statuunt, nomine *Vazdan:* Tenebras verò esse DEUM creatum, è tenebris ortum, cui nomen *Ahraman*. Ita esse rerum Autores, DEUM & Diabolum. Hanc olim Persarum religionem fuisse usq; ad tempora Zoroastris, quem *Zaradustum* vocant, eumq; sub *Gushtasfo*, id est Hydaspe, floruisse, autoremq́ne haberi ejus libri quem Magi amplectantur, ut â Deo cœlitùs Zoroastri demissum: cæterùm esse illis de hoc Zaradushto fabulas prolixas, inanes, & quæ recenseantur indignas, &c. *Hæc ex Abul-Feda.* Meminit ejusdem Zoroastris *Gregorius Abul-Faraijus*, sub Cambyse Cyri filio, eum religionis Magorum Doctorem appellat, qui à quibusdam *pro Eliæ discipulo* habeatur, Persasque *de Adventu Messiæ* monuerit, cujus signum sit futurum, stella, in cujus medio Virginis figura esset conspicua: &c. Ac certè diversas fuisse *Magorum sectas*

 patet;

patet; quæ cùm omnes convenerint in adſtruendâ *Althanavviah* ſcil. duo eſſe rerum principia Lucem & Tenebras, in partes abiiſſe videntur, quod alij principia iſta coæva; alij alterum altero poſterius eſſe ſtatuerint. Sunt autem duo primaria Doctrinæ eorum capita; Primum, *de cauſsâ miſtionis Lucis & Tenebrarum*, [hanc Hormisdæ & Satanæ αἱμομοξίαν vocat Theodorus Mopsveſtenus] hoc illi rerum *Initium de cauſsâ liberationis Lucis à Tenebris*, quam vocant *Reditum*. Quod in hac Magorum profeſſione mutârit Zoroaſtres, hoc fuiſſe videtur: DEUM Luce & Tenebris antiquiorem fuiſſe, utriusq; conditorem: Eum eſſe unum, nec habere ſocium: bonum autèm & malum probitatem & nequitiam, è lucis & tenebrarum mixturâ extitiſſe; nec aliter potuiſſe mundum exiſtere, foreque ut lux tandem vincat tenebras: tùm ſuum utriq; peculiarem, ac diſcretum ab alterius mundo, mundum futurum, &c. *De libro Religionis præcepta continente*, cœlitùs ipſi miſſo; mira *Al-Jannabius & Ahmed Ebn Tuſef*: conſtitiſſe XII. voluminibus,

quorum

quorum quodlibet integro Taurino corio compingeretur: in eo permitti, *ut conjugia ineantur cum matribus, ſororibus, filiabus*: multa in eum è *Davidicis Pſalmis* eſſe translata, &c. *Manes*, teſte *Schareſtanio*, mixtam ex Magorum & Chriſtianorum dogmatibus, religionem condidit, *de quo plura Pocockius addidit, conſona iis quæ habet Epiphanius, & cæteri, qui de Manichæiſmo ſcripſerunt*. Hæc Arabes & Perſæ de ſuo Zoroaſtre, quæ cum iis, quæ ex Græcis Latinisque ſcriptoribus deduximus, Doricè, ut ajunt, concinunt, manifeſtumque faciunt; celebrem illum Magum mille integris annis Moſe recentiorem fuiſſe, ſcriptaque adeò ab eo indigna eſſe, quæ cum Scripturâ Moſaica, in antiquitatis contentione, recenſeantur. Eat nunc, & Hermippi glandes edat, qui volet, ut ſimiles habeant labra lactucas.

SECTIO 8.

Zoroastræi libri quinam? quandò & à quo scripti?

ENimverò fuerit Zoroastres, non unus tantùm sed & alter, & plures; atque eorum aliquis non tantùm Nino suppar, sed & Adamo, si Hermippo fides habenda, antiquior; dùm nihil ille scripserit, manebit sua Mosaicæ Scripturæ gloria sarta & tecta. Jam verò nihil ab ullo tàm antiquo scriptum editumve fuisse, ipsi illi librorum tituli, eorumque argumentum, clamant, qui nomen ejus præferunt. Scilicet Hermippus mihi iterùm audiendus est: *qui vicies centena millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoq; voluminum ejus positis, explanavit*, Plinio referente l. 30. cap. I. Quin audiam quoq; cœteros infamium artium autores & professores; qui *Adami, Sethi, Enochi, Abrahæ, Salomonis libros* jactitant, ut hac quasi hederâ magnorum nominum, vappam suam fœtidissimam vendibiliorem faciant. Audiam æquè

Magos

Magos Ignicolas in Perside & Arabiâ, & credam *XII. illa volumina*, singula vix uno Tauri corio compingenda, cœlo esse missa. Sed videamus librorum inscriptiones, quorum apud Veteres mentio fit. Suidas recenset *IV. de Naturâ: de Gemmis, unum: Prædictionum Astronomicorum, V.* Ottho Heurnius de Primord. Philosoph. in Indico suo aliter & alios: *De pretiosis lapidibus V. de Astrorum effectis, ex eorum inspectione prædicendis, unum: de agriculturâ V.* Horum, *inquit*, aliquot Johann. Picus habuit, ut ipse ad Ficinum scribens, de Chaldaicis quibusdam à se repertis libris testatur: *Chaldaici*, ait, *hi libri sunt: si libri, & non thesauri. Audi inscriptiones: Patris Ezræ, Zoroastri & Melchior Magorum oracula, &c.* Pudet me nominis Christiani, si talia Christianus quis sibi pati possit persuaderi! *Thesaurus* hic? *an carbones* ex Erebo igniti & fumidæ stygis tædæ? Esse viros doctos qui hæc *Zoroastri* tàm antiquo; qui ipsi *Chamo* ausint asserere?

Quid ille scripserit *de rebus Persicis?* nam Eusebius citat *Librum ejus sacrum Persicum*

cum dictum, in quo res Persarum exsecutus sit. Fragmentum ex eo adducit hoc; *DEUS caput Accipitris habet. Is incorruptibilium primus, sempiternus, ingenitus, expers partium, sibi ipsi simillimus, bonorum omnium auriga, munera non exspectans, bonorum optimus, prudentum prudentissimus, Pater justi & juris, sine doctrinâ justitiam edoctus, naturâ perfectus, Sapiens, sacræ naturæ unicus inventor*, hæc Eusebius l. 1. de Præparat. cap. 7. Quis non furta agnoscit & deprehendit, etiàm *absq; lanâ & licio*, ut ajunt, ex Prophetica doctrinâ? deprehenderunt Arabes Saraceni, nos Christiani erimus naris tàm obesæ, tàm mucosæ?

Quas ille rationes *Apotelesmatum & & prædictionum Astrologicarum* tradiderit? si *Brachmanorum in Indiâ superiore monitu rationes mundani motus & siderum Hystaspes Darij Regis Pater eruditus, Magorum sensibus infudit?* si illi *quæ ab Hystaspe acceperunt, per suam quisq; progeniem posteris ætatibus tradere soliti?* ut habet Ammianus Marcellinus l. 23. Histor. Si *primus de Magiâ commentatus Osthanes*, Xerxis

xis comes, ut Plinius rerum iſtarum curioſus; quid tot millibus annorum antè Zoroaſtres? *Oracula* citat *Syneſius de inſomniis:* Collegit ex Platonicis, qui omnes Apoſtolorum ætate recentiores, *Franc. Patritius anno* 1593, edidit *Opſopœus Pariſiis Anno* 1599, cum Pſelli & Plethonis notis: Heurnius in Indico ſuo in certa diſtinxit capita, titulumq; præſcripſit: *Zoroaſtri Bactrianorum Regis, ac Principis Magorum, oracula Magica ſincera!* Non poſſum excandeſcere; miſereor magis. *Ne quis hic artis portentoſæ & præſtigiatoriæ præcepta tradi putet. Dogmata ſunt de pietate & cultu divino ſecretiora, ſivè Magorum, ſivè Ægyptiorum, ſivè Chaldæorum, à fide orthodoxâ non admodùm aliena, uti Pſellus docet, & ante hunc Syneſius Epiſcopus Cyrenenſis,* ſic editor Opſopœus. Ego his teſtibus magis credam, quàm oculis meis? Fuit uterque ex eâ ſectâ, de quâ Pſellus ipſe; nam cùm Chaldaica Dogmata συντόμως recenſuiſſet, adjecit: *Platonem & Ariſtotelem pleraq; eorum recepiſſe: At Plotini, Jamblichi, Porphyrij & Procli ſectatores per omnia ſequutos, ἀσυλλογίςως*

absq;

absq; ullo examine, ὡς θείας φωνὰς, *admisisse.* Quæ in his oraculis sunt *de Iyngibus, de Synochis, de Telarchis, de Potentiis intellectu præditis*, quas κοσμαγωγοὺς vocabant Chaldæi; Item *de Hecate Deâ, quæ medium inter has ducat ordinem, & omnium potentiarum sit centrum*, & id genus à fide catholicâ aliena non sunt? Quanquàm tàm perplexa, ut quo quo trahi se sinant, ac Loxiam aliquē autorem testentur? Magicum, Diabolicum non est, quod dicitur: *Nomina barbara ne unquàm mutaveris: Sunt enim singulis à Deo data, potestatem in sacris ineffabilem habentia?* Scio, simile quid assirmari ab Origene contra Celsum; sed æquè vel excusari vel communi calculo damnari, scio. Certè Psellus cùm hæc ipsa exponeret; *Equidem*, inquit, *Chaldaicas non probo teletas, nec dogmati huic omninò accedo.* Quid illud? *operare circa Hecatinum* σρόφαλον, *circulum aut turbinem*: Magicum, præstigiatorium non est? Ita dicebant *circulum, trocho similem, cui inclusa esset Sapphirus, aureum: qui bubulo loco* σρεφόμενος, *varios undiq; in se continebat characteras. Hunc rotantes,*

magicas

magicas perficiebant invocationes, ut habet Psellus. Tale est quoque illud: *Quandò Dæmonem terrestrem videris accedentem, Sacrifica lapidem* Μνίζειν, *inclamando*. Quod planè ex Diaboli arcanis esse, nemo tàm ferrei oris est, qui negare possit.

Mitto id genus plura: *Autorem* quæro horum scriptorum Zoroastræorum; In quo investigando digitum attollo *Francisco Patricio* ipsi, qui *Discuss. Peripatet. Tomo 1. lib. 3.* verè ait; *in more fuisse olìm, ut si cui libro autoritatem accedere cuperent, vel DEI alicujus, ut Ægyptij Mercurij; vel hominis insignis nomina ornarent: reverentiâ scilicet quâdam, vel etiàm quod vendibiliorem eo nomine sperarent fore; vel quod fætui proprio, alieni nominis quàm sui insignibus, gratiam majorem consequi sperarent ac immortalitatem, &c.* Quod ut testatissimum est innumeris exemplis, ita semel observâsse ex usu erit. Deindè reperio in antiquitate diversos Autores, qui libris à se conscriptis & confictis Zoroastris nomen præposuerunt. Quorum antiquissimus videtur fuisse *Erus*, ille *Armenius genere Pamphylius*, de quo ex Platone

tone & Clemente Alex. diximus. *Alter Proconnesius* ille, cujus meminit Plinius, qui Magica paullò ante Osthanem scripserit. *Tertius* mihi videtur, qui se *Astrampsychi* nomine venditavit, cujus *Onirocritica* primus digessit & emendavit Josephus Scaliger, ediditque cum aliis Opsopœus. Meminit ejus Laërtius in 1. & Suidas. Sed quis ille? nisi Zoroastres fuit? hoc enim sonat nomen Astrampsychus, *astrum animatum*. Alios indicat Clemens Alex. 1. Stromat. *Prodici hæretici asseclas gloriatos, habere se arcanos Zoroastris libros*: Alios Porphyrius in Vitâ Plotini: *Gnosticos ejusmodi Zoroastris libros confinxisse, quos Plotinus & Amelius*, Platonici circa annum Dom. CCLXX. *scriptis contrariis adulterinos & supposititios esse demonstraverint.* Gnostici tamen hi nòn alij fortè, quàm *Prodiciani*, ex Simonis Magi, Menandri, Basilidis & Carpocratis sectatoribus Magi, Platonicorum nomine nefandas artes celantes: de quibus *Theodoretus l. 1. Fabul. Hæreticar.* Hi primi Zoroastræa dogmata & oracula, post Adriani Imp. tempora, in Ecclesiâ Christianâ jactare cœpe-

cœperunt, ut fabulis ſuis portentoſis autoritatem aliquam compararent. Mirabili artificio uſus eſt Diabolus, ut gloriam Chriſti, cujus nomen jam tùm toto terrarum orbe, etiàm inter barbaros extra Romanum Imperium, cantabatur, opprimeret. Nam ut *Pſeudoapoſtolos* priùs excitaverat, qui Phariſaiſmum cum Chriſtianiſmo miſcentes, hujus ſinceritatem adulterarent; ita mox inter Gentes adduxit *Magorum* aciem, qui Chriſtianam doctrinam cum Zoroaſtræâ, Pythagoricâ, Platonicâ, ita ſtuderent conciliare, ut illam in contemtum aducerent; hanc animis tandèm ſolam inſtillarent. Sed cùm id impudentiùs molirentur, infamarentque & Chriſti & Zoroaſtris, Platoniſque nomina, horrendis ſuis, & ab omni rectâ ratione, ipſoque communi hominum ſenſu alienis commentis, evenit, ut ſtudiis quidèm diverſis, operâ tamen communi, tàm Chriſtianos, quàm Platonicos qui ſe ferebant Philoſophos, experientur adverſarios: uſque dùm tandèm, debellatis omnibus hoſtibus, victrix Veritas palàm triumpharet,

pharet, REGNANTE CHRISTO! Quare poſt Adrianum Imp. ultimamque Judaicæ Synagogæ diſperſionem, quæ Gentibus in ſalutem ceſſit, ut dixit S. Paulus, Roman. cap. 11. ut *Sibyllina* pleraque & *Hermetica*; ita & *Zoroaſtræa* conficta ſunt *oracula*, quæ tamen mox omnia, cum toto paganiſmi apparatu, in Orcum, undè emerſerant, reciderunt: è quo nunc iterùm non tantùm eruuntur; verùm etiàm novo mangonio interpolantur, & & non ſine magno præconio venum exponuntur. Ita redit orbis in orbem, luditque Diabolus choragus, permittente DEO, eandem fabulam, in juſtisſimum ſanè ingrati mundi exitium. An quicquàm extiterit, à vero quodam Zoroaſtre literis editum, præter ea, quæ Erus ille, quisquis fuit, conſcripſit, non puto conſtare poſſe. Hermippum, ut ſemper, indignum cenſeo, qui ubi de Veritate quæritur, teſtimonium rogetur. Quanquàm nec hoc ipſum ſit extra dubitandi aleam; Erum illum Pamphylium, Cyri familiarem, librum, qui ejus nomine prænotatus fuit, conſcripſiſſe. Græcus fuit

ille

ille liber, & à Græco compositus, ut & *versus Arimaspéi*, editi, ut credebatur, ab Aristæâ; Zoroastre, ut puto, Proconnesio: antiquum utrumq; scriptum: nàm *hujus* meminit *Herodotus*; *illius* argumentum exposuisse videtur *Plato*, qui & doctrinam, quam Chaldaicam & Magicam fuisse non negandum est, utriusque passìm secutus est. Versus Arimaspéi fabulam narrabant, *de Arimaspiâ* civitate apud Hyperboreos; similem illi, quam Poëtæ vulgò de Campis Elysiis, & Insulis Fortunatis: è quâ Plato Rempubl. suam ex parte delibavit. Autor mihi horum *Clemens Alexandrinus 4. Stromat. sub finem.* Nam cum Euripidis versus adduxisset: *aureæ sunt in tergo meo pennæ, aptanturqúe amabilia Sirenum talaria: Ibo in immensum æthera, ut conveniam Jovem!* Piè subtexuit noster: *Ego autem Christi spiritum oraverim, ut pennis suis alatum sustollat me in meam Jerusalem. Nam & Stoici dicunt, Cælum* κυρίως *esse Civitatem: quæ verò hic in terris sunt, nondùm esse Civitates: dici quidèm, non esse. Est enim Civitas honestum quid, & populus systema quoddam civium, ac*

multitudo hominum à lege gubernata: quemadmodùm Eccleſia à DEI Verbo, ἀπολιόρκητος, ἀτυράννητος πόλις *in terrâ: fit enim voluntas DEI in terrâ, ſicut in cœlo. Imagines verò hujus ipſius Civitatis etiam Poëtæ nobis fabricantur ſcriptis ſuis: Nã Hyporboreæ & Arimaſpiæ civitates & campi Elyſij, juſtorum* πολιτεύματα *ſunt; cujus etiàm exemplar in cœlo poſitum Platonis* πόλιν *eſſe ſcimus.* Videtur Ariſtæas *de Arimaſpis* fabulam primus compoſuiſſe; *de Hyperboreis* poſteà Abaris, cujus ſagitta celebratur, pertexuiſſe: Utriusq; argumentum & ſcopus fuiſſe; deſcribere *beatam vitam*, & media, quibus ad eam perveniri poſſit. Neq; aliud *Eri* illius fuit propoſitum. Nam ut ex Platone apparet, deſcripſerat ille *Animarum multiplicem ſtatum & conditionem*: Vivere eas primùm in cœlo beatiſſimas, fruiq; ineffabilibus deliciis, & pulchritudinis immenſæ ſpectaculis: Indè deſcendere, in corpora, & viciſsìm remeare perpetuo quodam orbe ad patrias ſedes, alias citiùs, alias ſeriùs, pro ut meritæ fuerint. Ita *Parcarũ* lege & ordine fieri, quæ matris ſuæ *Neceſſitatis penſum* immenſo

fuſo

fuſo evolvant. Eligere autèm ſingulas vitam & Dæmonem; ſortiri ordinem: Quare inclamare omnes Prophetam quendam, cùm ad *Lacheſis thronum* advenerint, ſortes & vitarum exempla, ex ejus ſinu, accepturæ: *Non vos Dæmon ſortietur; ſed vos Dæmonen eligetis. Qui prior ſortem ceperit, prior eligat vitam, cui neceſſariò inhærebit. Virtus inviolabilis & libera. Quam prout honorabit aliquis, aut negliget, ita plus aut minus ex eâ poſſidebit. Eligentis culpa eſt omnis, DEUS autèm extra culpam!* Tùm verò animas in *Letheum campum* adductas, ex fluvio *Amelitâ* bibentes, vitæ ſuperioris obliviſci, ferrique ad generationem, & induere corpora non hominnm tantùm, ſed etiàm animalium, &c. At exactâ mortali in terris vitâ, ſiſti *ad tribunal judicum*; qui poſtquam de ſingulis judicârunt, juſtas *ad dextram* in cœlum aſſurgere jubeant, ferentes in adverſâ corporis parte rectè factorum in vitâ notas; injuſtas verò *ad ſiniſtram* deſcendere in Orciculum, geſtantes in tergo ſcelerum ſuorum indelebilia ſtigmata: donec poſt innumeros annorum circu-

los, cùm decuplam quocunq; pro facinore luerint pœnam, remeare incipiant, & in cœlum iterùm evadere: nam nondùm purgatis ex immani hiatu emergere non licere: obſtare *igneos carnifices* truci adſpectu, qui egredi ante tempus nitentes rapiant deorsùm, manibus pedibusq; & cervice evinctis, dirisq; modis proſtratas excarnificent. *Hoc fabulæ Eri*, ut Socrates apud Platonem vocat, *compendium eſt*: in quâ ut Propheticæ doctrinæ clara non pauca veſtigia apparent; ita Magica multa; *de animarum origine*, μετενσωματώσει, *in varia corpora tranſitu*, *circulari regeneratione*, *multiplici purgatione*, & id genus, permiſta eſſe manifeſtum eſt. Interſperſit autor varias Græcorum fabulas, ut Græcum fuiſſe palàm ſit, quas apud Platonem videat, cui lubet. Hinc Pythagoras ſua hauſit dogmata: quæſitaq; varia *purgationis animarum media*, ut facilem haberent, poſt hanc terreſtrem vitam, in cœlos reditum: quare *myſteria* & *Teletæ* planè Magicæ inventæ, quibus animæ cum Superis Dæmonibus unirentur, de quibus Jamblichus, Porphyrius, Proclus

& alij

& alii eorum coætanei Platonici multa, hîc non dicenda. Hæc ideò adduxi, ut quandam Zoroastrææ *de beatitudine* doctrinæ epitomen adferrem; quam qui cum Oraculis illis, de quibus huc usque, conferet; & cum illis ipsis, & cum reliquâ Zoroastris doctrinâ, superiùs è Græcis, Persicisq; & Arabicis scriptoribus expositâ, ad amussim convenire deprehendet, facileq; animadvertet, omnia ab uno fonte profluxisse: nempè autor quisquis fuit, ex Propheticâ scriptura, gemmas quasi quasdam primigeniæ veritatis furto sublegit; quod & res ipsa docet, & omnium prudentum sensu, Arabum etiàm ac Persarum, ut diximus, constat. Hoc furtum ut & celaret, & pestiferum faceret adsperso veneno, operam dedit: jacentque adeò *carbunculi* quasi illi Prophetici *in cœno* Magicæ superstitionis, quo obliti vix eradiant. Ut conferri intèr se possint faciliùs, pauca quædam ex Oraculis Zoroastræis repetere operæ videtur pretium, quo labore defunctus exercitationem hanc finiam. *De DEO* sic docent Oracula: *Multiplicata est unitas*

 Pater.

Paterna, & generavit duo. Toto in mundo splendet Trinitas, cujus principium est unitas. Omnia ab uno igne producta sunt. Omnia perfecit Pater, & Menti secundæ tradidit.
De Animæ beatitudine : *Purum animæ tuæ oculum converte, vacuamq́; mentem intende in intelligibile. Est enim intelligibile quoddam supra intellectum, quod solo intellectus flore percipi potest.*

Disce vias animæ, queîs veneris? ordine quônam,
Quâ mercede, tuum corpus susceperis? illò
Sic reflues, pia facta velis si jungere verbis.
Ne deôrsùm vergas! Patet ingens subtùs hiatus
Sub terrâ, septemq́; rapit fatalis Anances.
Ad solium gradibus.— Quæras Paradisū!
Ipsa Deū rapiens ad se Mens, jungitur illi;
Nil mortale tenens, divinitùs ebria tota.
Neu tu animo terræ spatia hæc immensa pererres;
Nam nusquàm in terris nascuntur germina Veri.
Nec Solis metire vias, aut collige normas.
Non causâ ille tuâ; Patris sed Numine fertur.

Lunam

Lunam linque, Polum quæ Fati lege peragrat;
Astraq́, Te propter, quæ cœlo condita non sunt:
Nil veri referent Volucres tibi præpete pennâ;
Exta nihil fibræq́; hæc omnia nil nisi nugæ:
Æruscatorum ludibria! Tu fuge cautus,
Si Paradisum vis sacrum pietatis adire,
In quo versantur, jus, fas, sapientia, virtus.

Placuit hæc ad verbum vertere: splendida, si *corticem* verborum videas; putrida & Magica, si gustes *medullam*. Verba furatus est autor ex Prophetarum thesauris; sensum corrupit Magico ingenio. *Unum DEUM* prædicat, qui genuerit duos, Oromazon & Satanam. *Trinitas* illi creata est. *Anima* ante corpus, libidine serviendi in corpus venit ut mercenaria: *via reditus*, illi sunt *sacri de Deo sermones*, Magicæ preces, *& opera* mysticæ teletæ, sacrificia & initia: His exuit mortalitatis vincula, *& inebriata quasi DEO*, unitur illi: cætera, quæ magni fiunt, divinationum genera, ut divinum faciant animum, nihil possunt: vide Plethonis &

Pſelli commentaria. Puto me demonſtrâſſe, veritatis citra contentionis ſtudium amantibus, neque aliquem Moſe antiquiorem fuiſſe Zoroaſtrem, & quæcunque Zoroaſtræo nomine jactantur ſcripta reliquias continere Propheticæ doctrinæ, Magorum ſcelere, infernali virulentiâ corruptas, ut *odor vitæ*, Prophetas ſpernentibus, juſto DEI judicio, verteretur *in odorem mortis*. De Zoroaſtre ſat multa.

EXER-

EXERCITATIO SECUNDA, DE MERCURIO TRISMEGISTO, EIUSQUE SCRIPTIS.

SECTIO I.

Veterum de eo testimonia, & per omnes ferè gentes deducta traditio.

INter *quinq; Mercurios*, quos Cotta recenset *apud Ciceron. 3. de Nat. Deor.* duo postremi feruntur Ægyptij. *Prior* Nilo patre genitus, *quem Ægyptij nefas habent nominare*: & *posterior* quem colunt Pheneatæ, Argi interfector, ut volunt Græci, qui cum Jo in Ægyptum è Græciâ profectus, *Ægyptiis leges literasq; tradiderit*: dictus ab ipsis *Thoyth*, condi-

tor urbis Hermopolis. *Qui tametsi homo, fuit tamen antiquissimus, & instructissimus omni genere doctrinæ, adeò ut ei multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imponeret*, ut ait Lactantius, l.1. cap.6. Ipse de se, si credere dignum est, in *Asclepio* suo, de quo posteà, narrat: *Avum sibi fuisse Mercurium Majorem, qui, ut ait, Consilij Pater, omniumq; κατηγητὴς fuerit, Τρισμέγιστος Ἑρμῆς.* Quæ interim non obiter notanda.

Hunc ergò Mercurium cognominem *Avo*, quem Ægyptij inter *Reges DEOS*, qui per infinita apud se regnârint secula, postremo loco numerant, ante primum *semideum Osiridem*; hunc, inquam, *trecentis ante Mosen & ampliùs annis* vixisse, plurimosq; edidisse libros, etiàm inter Christianos quidam Docti nostrâ ætate contendunt: freti testimoniis innumeris, & *traditione*, ut ajunt, antiquissimâ, per omnes ferè gentes nationesq; divulgatâ. Authores ejus Ægyptii ne fuerint, an Græci? incertum: certum, diu inter utrosque de Mercurio certatum fuisse, tantisper quidèm, quoad usq; litem, ex mendaciis

ortam

ortam, solâq; mentiendi confidentiâ nixam, veritas Christiana illucescens dirimeret. Jam *Herodoti* ævo vigebat illud certamen, ut ex lib. 2. apparet: Ille tamen nullas de Mercurio Ægyptiorum narravit fabulas, etsi *Osiridis*, & *Isidis*, & *Ori* meminisset. Quod miror: ac ferè in eam venio sententiam, eo tempore nondùm fuisse excogitatas. Primus videtur, qui quidèm extet, mentionem fecisse *Plato*, cujus testimonium posteà expendemus. *Diodorus* verò *Siculus* pluribus fabulas exsequitur *lib. 1. fuisse*, ut compendifaciam verba, *apud Osiridem summo in honore, intimum ejus Consiliarum, & sacrum scribam: cùm ex Ægypto in longinqua bella proficisceretur, eum Isidi conjugi suæ, cujus olìm Pædagogus fuerit, parastatam, Regniq; Gubernatorem reliquisse:* addit Diodorus, à quibusdam tradi; fuisse in Nysâ Arabiæ urbe, à quâ Baccho Nysæi nomen, *Isidis & Osiridis sepulchra:* superstare columnas duas, in quarum alterâ sacris literis hæc fuerint inscripta: *Ego sum Isis Ægypti Regina: à Mercurio erudita: Quæ ego legibus statui, nemo solvere poterit. Ego sum uxor*

Osiridis.

Osiridis: *Ego prima frugum inventrix*: *Ego Hori Regis mater. Ego inter astra Canis refulgens*: *mihi Bubastia urbs condita*: *Gaude, gaude Ægypte, quæ me nutriisti!* Similia his *Plutarchus* habet *de Iside & Osiride*, sed quæ Mythica quoque esse agnoscit & fatetur. Cœterùm *de libris* ab hoc conscriptis, primi puto, testes citantur *Seleucus*, Alexandrinus Grammaticus, cujus *centum libri de Diis* memorantur à Suidâ, ut arbitror, & *Manethos*, de quo deinceps. His autoribus prodit *Jamblichus*, Magus Platonicus, *de Mysteriis*: Mercurium de Ægyptiorum Sapientiâ scripsisse libros, *triginta sex millia, quingentos, & vigintinovem*: Eos inter esse *de Diis Empyreis centum*: *de Diis Ætheriis totidem*: *de Cœlestibus mille.* Admissi risum teneatis amici! *Clemens Alex. 6. Stromat.* recenset, *quadraginta duos sacros*, quos memoriter ediscere debuerint, qui sacra curarint, eosq; tanto in pretio & honore habitos, ut in publicis pompis religiosè circumferrentur. Quales fuerint, posteà audiemus. Verbo: οὐδὲν ὑγιὲς, Magica & idololatrica fabulamenta. *Synesius de Providentiâ,*

tiâ, cum longam de Osiride & Typhone Ægyptiorum fabulam recenseret, hoc quoque inter cœtera non inscitè, pro argumenti ratione, confinxit: *Osiridem Regem, literatorum summum fautorem, ex publico alimenta constituisse librorum Scriptoribus, quod in hoc opere occupati quærendo victui vacare non possent.* Sed de libris mox plura. *Græci*, cùm multa fabulati sint de Mercurio, nullum tamen ab eo se librum habere uspiàm, quod sciam, ausi sunt gloriari. *Plato* tamen, ut ajunt, Mercurij se discipulum profitetur. A Græcis acceperunt fabulam *Druydæ Gallorum*: DEUM, *inquit Cæsar*, maximè Mercurium colunt: hunc omnium inventorem artium ferunt, *l. 7. Belli Gall.* Germani *Teuthatem* vocare soliti, quasi *Taautem* dicerent; quod ab Ægyptiis nomen accepit, ut refert *Tacitus*, de quo plura *Schedius de Diis Germanor. Syngram. 1. cap. 5.* Sed neque illi; neq; ulla olìm ante Ægyptios natio, de libris Mercurij quicquam ausa fuit comminisci. Quare proprium hoc Ægyptiorum peculium est. *Phœnices* tamen hoc sibi vindicabant. Itaque *Philo*

Biblius

Biblius citat *Sanchoniathonem*, antiquissimum Phœnicum historicum, qui Hermetis librorum meminerit, quodq; *Phœnicum sapientiâ præstans, primus religionem Deorum, ab ignorantiâ vulgari, ad doctrinæ dignitatem reduxerit*, apud Eusebium l. 1. de Præparat. cap. 7.

Irrepserunt hæ fabulæ de Mercurio *in Ecclesiam*: Quæri itaque cœpit, quis ille fuerit? Quidam cum *Mose*, aut cum *Jethrone* ejus socero confuderunt. Sic ex *Josepho* Serapim; ex *Mose* Dionysium, sivè Osiridem; ex *Josuâ* Herculem Ægyptium fecerunt. *Hebræorum Rabbini*, quæ de Mercurio Ægyptij, eadem *de Henocho* ante diluviano Patriarchâ fabulati sunt: Hunc *Arabes* ipseq; Muhammed, *Adrin* appellârunt, eique eadem tribuerunt. Quanquàm *Athanasius Kircherus* Osiridem cum Mercurio, Dominum cum servo, confudisse, & *ex Osiridis* nomine *Adrin* dictum opinetur, de quibus deinceps. *Chronicon Alexandrinum* à Pico Jove, Italiæ & Occidentis Rege, natum affirmat *Jaunum*: huic â Planetâ *Mercurij* nomen fuisse inditum: reperisse aurum ejusque con-

conflandi rationem, convasatisq; rebus suis, multoq; auri pondere, fugisse in Ægyptum: ubi à *Mesremo* Rege Chamigenâ receptus, cùm propter sapientiam & artes varias in magno esset honore, defuncto tandèm successerit. Hæc de Mercurio superiore: post hunc regnâsse *ait Autor* Vulcanum & Vulcani filium, Solem: his successisse Sosidem, Sosidi Osiridem, huic Orum, Oro Thulen. Tùm verò regnum *ex Chami genere* suscepisse *Sesostrin*: *atq; hic*, ait, *idem fuit Mercurius Trismegistus, vir suspiciendâ sapientiâ, qui asserebat tres esse maximas Potentias, nomenq; inenarrabilis & opificis DEI, unam dixit esse Deitatem. Ita enim de Naturâ DEI, ut in variis ejus libris reperitur, cum Æsculapio disseruit, &c.* similia habent *Suidas, Cedrenus,* & alij. *Hic scripsit libros*, ait Lactantius, *& quidèm multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes: in quibus majestatem summi ac singularis DEI asserit, iisdemq; nominibus appellat, quibus nos, Deum & Patrem, &c.* lib. 1. cap. 6.

Ergò *Trismegisti Mercurij* omnes ferè nationes *famam* ab Ægyptiis acceptam

pro-

propagârunt; *libros* verò non tantùm, Ægyptij in magna veneratione habuerunt; verùm etiàm *Hebræorum* Rabbini, *Arabum* Sapientes, *Græcorum* Philoſophi, ipſi deniq; antiqui *Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores* laudârunt & citârunt: è quorum catalogo ſuperſunt ad huc duo, *Aſclepius & Pæmander.* Et auſit quis contradicere? Sic illi pro Mercurio: quibus quantum inſit ponderis, nunc paullò penſiùs examinandum eſt.

SECTIO 2.

Ægyptiorum, de Antiquitate cùm aliis gentibus diſceptatio; pro ſuâ adſtruendâ immania mendacia.

QUicquid *Mercurij* antiquisſimi *libris* uspiàm memoriæ proditum eſt, Ægyptiorum fide nititur: hanc à mendacisſimis hominibus ſi quis exigat, idem faciat, ac ſi aquam à furno poſtularet, lanam à caprâ. Perſuaderi ſi quis ſibi ſinat, verà

vera esse, quæ *de Thaauto* suo narrant; cætera, æquè credat oportet, quæ illi *de Regibus Dis, & Semideis*, ante Homines, qui per infinita temporum spatia Ægypto imperitârint, deblaterant. Ita enìm ea inter se connexa sunt, ut vel stare simul vel cadere necesse sit. Antiquissima de antiquitate nō modò inter Græcos, *Athenienses & Argivos*; sed etiam inter Barbaros, *Ægyptios, Æthiopes, Chaldæos, Phryges, & Scythas*, fuit contentio. Autochthones gloriati se sunt non soli *Athenienses* in Græciâ, quod & cicadis suis aureis significare voluisse dicuntur, quas capillorum cincinnis innexas habebant; verùm etiàm *Aborigines* in Italiâ; *Turdetani* in Hispaniâ; *Lemovices & Burdegalenses* in Galliâ, de quibus Merula in Cosmograph. & Martialis Episcopus in Epist. ad Burdegal. quisquis fuit: *Vos*, inquit, *ipsum genus vestrum ignorabatis, nec de unâ matre unoq; patre vos ceeatos esse noveratis, &c.* & alij plures. De eâ contentione præter *Herodotum l.2. Diodorum Sicul. l.1. Justinum l.2. cap.1. &c.* locus est apuod *Scholiasten Apollonij Rhodij l. 4. Argonaut. vers. 262.*

memorabilis; quem quoniàm Latinè alibi legiſſe non recordor, obiter verto & adfero: *Dicit Poëta*, infit ille, *antiquiſſimos eſſe Ægyptios: Herodotus verò Phrygas. At Cosmes in 1. Ægyptiacorum, & Leo in 1. ad Matrem, & Cnosſius in 1. Geographiæ Aſiæ, Ægyptios vetuſtiſſimos eſſe atteſtantur, primamq; in Ægypto urbem conditam Thebas.* Nota. *Thebas Bœotias* vetuſtisſimum in Græciâ oppidum eſſe, conditum ab Ogyge ante cataclysmum, ait Varro, 3. de Re Ruſt. cap. 1. extitisſeq; ante ſua tempora annis bis mille circiter & centum, quot à Belo Asſyriorum Rege uſque ad Auguſtum Cæſarem ferè computantur. At Hyginus fab. 275. primam omnium urbem fuiſſe refert, *Thebas Hecatompylas in Indiâ* à Jove ædificatas: Thebas verò in Bœotiâ â Cadmo extructas dictas fuiſſe Heptapylas: *de Thebis Ægyptiis Hecatompylis* vide in hiſtoriâ Oſiridis & Buſiridis Diodorum Sicul. lib. 1. cap. 15. & 45. Pergit Scholiaſtes: *Conſentit Nicanor, & Archemachus in Metonymiis, & Xenagoras in 1. Temporum: Hippys quoq; primos fuiſſe Ægyptios ait ratione colligi poſſe, ex aëris tem-*

temperie, & fœcundâ Nili aquâ: Appollinus ipse, extitisse eos, antequàm omnia in cœlo volverentur sidera: quare & horum naturam maximi callere ferebantur, primiq; stellis imposuisse nomina: ac duodecim quidem Zodiaci signa Θεὲς βελαίες *appellârunt, Planetas autem* ῥαβδοφόρες. *At Herodotus narnarrat Psammetichum Ægypti Regem*, cui suppar fuit Judæorum Rex Manasses, quod notandum, ut observetur, quo maximè tempore hæc controversia agitata fuerit inter Barbaros; *cùm scire percuperet, quinam mortalium essent primi? duos infantulos pastori cuidam commendâsse, cum severo interdicto, ne quisquam ullum eos verbulum audire sineret, solo capræ ubere lactarentur; biennio elapso primam emisisse illos vocem, Bek, quæ Phrygibus panem significat: sic Phrygas creditos fuisse Terrigenas. Hoc autem aliis stultè colligi videtur: nam infantes, cùm nullam nisi ovium caprarumq; vocem audîssent, balatum articulatâ voce expressêre. Deniq; Arcades se ante Lunam fuisse gloriabantur, ut apud Eudoxum in Periodo. Theodorus verò in XXIX, scribit; Lunam pauxillo tempore antè apparuisse, quàm Her-*

cules cum Gigantibus bellum gereret; Mnaseas regnâsse Arcadas ante Lunam: At Aristoteles in Politiâ Tegeatarum ait, habitâsse primùm in Arcadiâ Barbaros; eos adortos esse Arcades noctu, ante quàm Luna illuxisset, cumq; victos ejecissent, cognomen Proselenorum obtinuisse: alij Enydmionem, ex Arcadiâ oriundum, Lunæ periodos & numeros reperisse, & hac ratione nomen hoc popularibus suis promeruisse, &c. Hæc ille & alia.

Ergò ut *Chaldæi* cæteris nationibus omnibus palmam hanc præriperent, ausi sunt jactare; *ex quo sidera ipsi observârint, usq; ad Alexandri in Asiam expeditionem, numerare se posse annorum quadringenta & septuaginta millia, eaq; monumentis comprehensa contineri,* ut recitat Cicero l. 1. de Divinat. & l. 2. refutat. Regum antiquissimorum tempora non per annos, sed per νέρους, σώσους, καὶ σάρους computabant. *Sarus* continebat annorum sex millia, *vel ut ex Abydeno Conringius de Asiæ & Ægypti Dynastiis, tria millia & sexcentos: Nirus* sexcentos, & *Sosius* sexaginta, *Salmasius de Climacter. in præfat.* Ita Berosus narrat *ante diluvium, Reges Babyloniæ novem*

regnâsse

regnâsse per Saros centum & viginti: hoc est, per annos minimum 432000. Putaverant vanissimi homines, se ad summum mentiendi culmen pervenisse, stareque in eo præcipitio, è quo nemo altiùs assurgere possit: vicêre tamen audaciâ *Ægyptij*. Nam ante Reges homines & Semideos, regnavisse apud se *Deos* commenti sunt: Et primum quidèm *Vulcanum per infinita temporis spatia: huic successisse filium Solem, præfecisseq; regno per annos sexcenta millia, sexcentos, septuaginta sex: hunc secutum in regno esse Martem, & deindè Saturnum; quorum illi Sos nomen dedere, huic Ke:* quanquàm alij hæc aliter. Huic tàm nudo & fœdo mendacio, ne erubesceret, vestem aliqui coloremque & pigmenta volebant inducere: Ægyptios *annos* habuisse primitùs *lunares menstruos*, imò *diem pro anno* solitos computare. Sic *Palæphatus*, & ex eo *Chronicon Alexandrinum:* Vulcanum, primum Ægypti Regem, in Deos fuisse relatum, quod precibus suis artem fabricandi arma de cœlo impetraverit: quibus inventis & ad parandum victum & ad virtutem bellicam,

tucandamque salutem egregium hominibus præsidium attulisset: eundem quoq; continentiæ conjugalis legem primum promulgâsse: *quorum utrumq; ex Historiâ Thubalcaini Lameosidæ Mosaicâ confictum esse apparet*: Eo defuncto Solem filium regnâsse, *per dies septem & septuaginta, supra quater millenos, & quadringentos*, qui conficiant annos nostrates XII, menses III, dies IV. Aliam enim computandi tempora rationem id ævi Ægyptios ignoravisse. Dies illis pro annis fuisse: menses autèm tùm demùm duodecim constituisse, ex quo vectigalia Regibus pendere cœpissent. Eum Solem Philosophum eximium, castitatisq; amantissimum fuisse: quare deprehensam in adulterio nobilem fœminam, mœcho interfecto, in pompâ per totam Ægyptum circumduci jussisse, ut legi patris Vulcani honos haberetur: hinc ortam Homeri fabulam de Martis cum Venere adulterio, à Sole evulgato &c. Placent hæc etiàm eruditis, ut ita autument & Ægyptiorum gloriationes vel excusari vel retundi, & historias eorum cum Sacris conciliari posse.

Sed

Sed reclamant illi, quantum possunt: vim fieri suæ opinioni, ac futili commento frustrà oppugnari suam antiquitatem: *Reges Deos annis* apud se tàm multis regnâsse, *solaribus*, plenis, quorum quisque diebus constiterit *trecentis & sexaginta*: quibus Mercurius posteà, regnantibus semideis Heroibus, *quinq; Epagomenas* Deorum Natalibus sacras, adjecerit; ut disertè protestantur *apud Herodotum, Diodorum, & Plutarchum de Iside & Osiride*. Quod & res ipsa confirmat. Nam regnâsse Solem annis XII, quid habet singulariter memorabile? cùm eo tempore, in quod ejus regnum oportet incidisse, scil. ante cataclysmum, ex Mosaicâ antiquitate constare possit, quosdam Patriarcharum ad annos ferè millesimum vixisse, regnavisseque, adeò septingentis fortè & ampliús? Quis non jam nunc in cipit suspicari; Ægyptios Sacerdotes, odio divinæ veritatis, studioq; eam obscurandi, talia & quidèm non aliundè, nisi ex ejus instrumento, S. veteris Testamenti Scripturâ, fraude Diabolicâ, excogitâsse. Quod mox patescet magis. Nunc mendacia illorum de Regi-

bus suis lubet paullò intueri, videsse tantùm & inter se composuisse, erit refutâsse.

SECTIO 3.

De Ægypti Regibus quàm inter se planè contraria retulerint Ægyptij, Græci, & Arabes?

NOn credo quenquam esse, non dicam Christianũ, sed ne quidèm, cui sani quid saliat - *lævæ sub parte mamillæ*, qui talia attentè contemplatus non videat, Diaboli mera esse ludibria, & rideat. Sed quia Atheis tamen aliquid subesse veri videtur, quo everti possit S. Literarum fundatissima fides; repeto tantùm argumentum illud, quo *Manethos & Chæremon*, mendaciloquentissimi Ægyptiorum Historici, olìm ab *Josepho l. 1. contra Apionem refutati* fuerunt. *Qui dicta omnia*, inquit, *inter se confert, vanitatem autorum liquidò deprehendit. Si quid inesset veritatis, impossibile erat adeò discrepare eos. At qui mendacia confingunt, non curant scribere, quæ aliis sunt consona, sed quæ pro lubitu*

lubitu excogitârunt. Id ut in aprico ponatur; age, conferamus Ægyptiorum de Regibus suis antiquissimis traditiones.

Herodoto igitur, qui primus de his scripsit, ita narraverunt Sacerdotes, ostensis etiàm, ad faciendam fidem, Regum colossis, ac Pontificum statuis: *A principio ab innumeris seculis Deos imperium tenuisse Ægypti, & quidem numero octo, quorum primus fuerit PAN. His successisse alios duodecim, quos inter princeps fuerit HERCULES. Tertium ordinem cœpisse à Dionysio, qui & Osiris; desiisse in Horo, ejus filio, qui & Apollo. Exindè regnâsse HOMINES, primumq́; MENAM: ab hoc usq; ad Sethonem Vulcani Sacerdotem, cujus precibus nobili clade illâ affectus fuerit Sennacheribus Assyriorum Rex, regnâsse Reges trecentos XLI, Piromin cognomine, semper ex Piromi genitum, spatio annorum undecies mille, trecentorum & quadraginta. Ab Hercule ad Amasin fluxisse annos XVII CIↃ.* Sic illi; at *Græci* ejus ævi per omnia bis distantia. Nam, ut ipse refert Herodotus, qui apud Ægyptios primi habebantur Dij, in suo quisq; ordine; apud Græcos inter

poſtremos recenſebantur, PAN, HERCULES, DIONYSIUS. Hi itaque lite publicè conteſtatâ Ægyptiorum DEOS vindicabant,ut ſuos vernaculos: illi contrà, Orphei plagio ex Ægypto ſurreptos in Græciam transfretâſſe affirmabant. Cauſſa olim perorata eſt, finienda nunquàm: argumenta erant mera mendacia; picta tamen in ſpeciem veri varijs conjecturis, ſed vaniſſimis, ut apud Herodotum & Diodorum legere eſt.

Fabulæ inaniſſimæ aliquantisper,dùm recentes adhuc à furno q. calerent, palato arriſerunt ſtolidiſſimorum Ægyptiorum: mox frigefactæ ſperni cœperunt. Ergò alio apparatu recoxit *Manethos*, itaque condivit,ut noſtratibus etiàm Doctiſſimis Viris non inſipidæ aut inſulſæ videantur. Quis ille? quàm probæ notæ? *Athanaſius Kircherus Oedipo*; frequens, *ait*, apud priſcos hiſtoricos Dynaſtiarum Ægyptiacarum fit mentio, quarum tamen alium Autorem non habemus, niſi Manethonem Sybennitam, Sacerdotem Ægyptium, quem ante tempora Alexandri,quicquid dicat Scaliger,in Ægypto floruiſſe

ruisse comperio. *Quid ita?* Si quidèm, Josephus, *inquit*, l. 1. contra Apion. crebram ejus mentionem facit: Sed & Hebræi lib. Juchasin, eum velut antiquissimum scriptorem & fide dignissimum citant, ita ut & Arabum quoq; scriptis irrepserit: meminit quoq; Jochaides in suo Zohar, *&c.* Sed quis ille fuerit & quâ ætate, ipso nemo certius dixerit. Extat, apud *Euseb. in Chron.* epistola ejus *ad Ptolomæum Philadelphum*, quâ illi historiam suam inscribit & dedicat: quin & hanc *usq; ad Darium Codomannum* ad Arbela devictũ, subactamq́; ab Alexandro Ægyptum, produxit. *Josephus* neque antiquitatis nomine celebrat, & *mera deliramenta scripsisse* disertè affirmat, multisq́; arguit. Hujus judicio si stetissent posteà nostri, *Julius Africanus, Eusebius, Syncellus*, & recentiores, non posuissent operam inanem in conciliandis ejus Dynastijs cum S. historiâ. Mendacium cum veritate nunquàm potest coire. Hoc est ἀσύγκλωστα συγκλώθειν. Hebræi & Arabes recentiores, & de ponte suffragiorum dejiciendi sunt: Hîc tamen nihil aliud dicunt, quàm quod alij

ante

ante se: Scripsisse Manethon historiam Regum Ægypti. Quam quanti æstimaverint, mox audiemus. Quid ergò ille? Regum istorum historiam divisit in Dynastias, *ut habet Kircherus*, XXXII; *quarum XV. ut potè ex hominum memoriâ, unà cum diluvio deletas, omisit: Cæteras XVII, ex monumentis Ægyptiorum depromptas, eâ quâ potuit fide & diligentiâ descripsit*. Bonâ ne? *Multi*, inquit, *sunt, qui meras esse nugas putent, quin & ego in hac quoq; opinione, me fuisse memini, donec Orientalium traditionibus monumentisq; instructior, tandèm eas non ita commentitias, ac multi putare possent, comperi. Certum est, mentionem earum apud Ægyptios fieri, uti & apud Arabes*. Sed hoc momenti non adeò magni esse, æquè certum est. Illud videtur plus habere, quod Eusebius habet, *adduci ex libris Manethonis Sebennitæ, qui temporibus Ptolemæi Philadelphi, summus fuerit Sacerdos, easq; eruerit ex columnis in Seriadicâ terrâ positis, sacrâ, ut ait, dialecto, literisq; hierographicis inscriptis à Thoyt primo Mercurio, quæ posteà ex sacrâ linguâ in Græcam post diluvium interpretatione versæ; exq; sacris libris*

ab Aga-

ab Agatho-dæmone, altero Mercurio, patre Tati, in adyta sacrorum Ægyptiorum relatis. Hæc Manethos ad fidem adstruendam, ad Regem Philadelphum: *ubi si falleret, redarguissent eum Sacerdotum alij: si non ob aliud, saltèm ut sic gratiam sibi Regis conciliarent. Quamobrem existimo, Manethon quidèm optimâ fide exscripsisse ista, undè profitebatur, &c.* Sic Vossius 1. de Idololatr. cap. 28. Miror viros doctissimos tàm facilè falli velle. Nàm *primò* cupio scire; quid mendacissimo scriptori *Columnæ* illæ antediluvianæ, aut pòst *libri* illi antiquissimi sacri ad historiam Dynastiarum potuerint conferre, vel earum, quæ cum Diluvio periisse feruntur, & æternùm lâtent; vel earum, quæ tot millibus annorum posteà exortæ monumentis illis longè recentiores extiterunt? Fingamus hic adesse nugonũ maximum: sciscitemur ex eo; obsecro edissere; ex *columnis illis à primo Mercurio inscriptis*, quid depromis? XV. inquiet fortè, Dynastias Ægyptias diluvio anteriores. Quas illas? nullas: nam præter numerũ cataclysmus omnia obliteravit. Quid ergò *ex Mercurij posterioris sacris libris*?

XVII.

XVII. reliquas. Illas ne? quas illi si nõ omnes, certè plerasq;, multis non modò seculis, verùm etiàm millibus annorũ, scribendo antecessit? *Deindè* quî factum est, ut solus hæc Manethos didicerit, ignorata aliis omnibus Sacerdotibus: non iis modò, qui olìm alia narraverant Herodoto & Hecatæo Abderitæ; aut posteà Diodoro Siculo, de quibus mox; verùm etiàm circa ea ipsa tempora *Ptolemæo Mendesio, & Chæremoni & alijs*, quos citat & refutat Josephus, de ipso argumento, quod adeò inter se adversis frontibus pugnantia proderent? *Sed redargui potuisset Manethos, si fefellisset*: Primò, ponamus extitisse illas columnas, quod non negaverim; fuisseq; tàm antiquas, quod nemo possit affirmare: nàm *de Pyramidibus quandò & à quibus extructæ essent? nulla erat inter Ægyptios consensio*, teste Diodoro: quis me certionem faciat, non fuisse à quopiam redargutum? cui & coætanei & posteriores Ægyptij scriptores contradixerunt? Deindè nego, fortè redarguere tùm apud Regem quemquam *potuisse*, aut si quis potuit, *voluisse*. Quis redarguit

Her-

Hermappionem, qui obeliſcum, poſteà in Circo Romano poſitum, literis hieroglyphicis inſcriptum, interpretatus legitur, *apud Ammian. Marcell. l. 17.* & quidem, uti cenſet Kircherus, *falſiſſimè?* Quid ſi literas illas Columnarum nemo id ævi interpretari potuit? ex argumento dictas, *ignorabiles*. At cur uoluerint quoq; , quanquàm potuiſſent, redarguere, ratio fuerat urgentisſima? Metus erat ne, jam tùm divulgatis Sacræ Scripturæ libris, Regiq; Philadelpho curâ LXX. Interpp. in Græcam linguam converſis, & aræ ſimul & culinæ Sacerdotum frigeſcerent: quis negaverit, rem *ex compacto* gesſiſſe, *velut in velabro olearij*, ut Comicum habet proverbium? ſed quid opus eſt verbis? ipſi illi, qui, plus quàm par erat, pro Manethonis hujus fide pugnant, tandèm in multis deſciſcunt ab eo, pasſimque deſerunt, imò & errorum accuſant. Quod pluribus perſequi, non eſt inſtituti.

Venio ad *Diodorum Siculum*, qui recentior his eſt, & fide dignior. Scripſit *Herodotus*, hiſtoriamq; ſuam publicavit, Olymp. LXXXIV. *anno* ante Dei-Ho-

minis

minis nativitatem, ut ponit Calvisius, CCCCXLII. *Anno* CCCXXIX. *Alexander Magnus* Ægyptum intrat. *Ptolemæus Philadelphus* regnare incipit, *anno* CCLXXXIII. sub hoc traditiones Ægyptiorum vulgat *Manethos*, post Herodotum annis CLIX. Circa Olympiadem CLXXX, ante Christum *anno* L. ferè, in Ægyptum profectus est *Diodorus*, annis post Manethon CC. & XXX. minimum. Quid ille? eadem ferè, quæ Herodotus audivit, *in genere*; alia omnia quàm Manethos. *In Ægypto regnavisse primò Deos cœlestes, Solemq; ante omnes, vel ut alij narrent, Vulcanum*: in hoc dissentit ab Herodoto, consentit Palæphato. *Hos secutos esse Semideos, genere mortales, virtutis merito Dijs adscriptos, ejusdem partim nominis cum illis, partim diversi. Tum inter homines primum præfuisse Menam, successisse longâ serie Reges CCCCLXX, & Reginas, quinq;, &c. Fabulari autem Ægyptios Deorum & Heorum apud se regnum comprehendere annorum XVIII. CIↃ. summam: homines verò usq; ad Olympiadem CLXXX, quo tempore ipse in Ægyptum se contulerit, regnante*

regnante Ptolomæo, cui Novi Dionysii agnomen fuerit, regnâsse per annos XV. CIↃ. Sic supputatione factâ Sacerdotes colligere à regno Solis, ad Alexandri in Asiam transitum, annos XXIII. CIↃ. Quid, amabo, in his tandem certi, ubi pedem possimus figere? & quis non videt Manethon cum grandibus suis mendaciis aut redargutum, aut contemptum, & facessere jussum?

Sed *Arabes* fortè certiora de Ægypti Regibus comperta habent? *undè* an ex suis antiquissimis monumentis! at nulla fuerunt, de quo seorsim. Ergò ex Græcis? nam neq; ab Hebræis, neq; ab Ægyptiis affirmari potest quicquam certi accepisse. Et fatendem sanè est, Herodoti, Diodori, Manethonis fabulas novisse: sed cur, ut egregii sunt artifices mentiendi, ita interpolarunt, ut Veteres unico quasi obelo notatas & damnatas, deleverint, novasq; & musteas ex iis procuderint. Nam primò *ex XV. Manethonis Dynastiis* antediluvianis, totidem nobis Reges finxerũt, Magos detestabiles: quorum primus fuerit *Nacraus*, qui & *Amasis, qui duo lapidea idola in foro erexerit Ma-*

gica, quæ miro artificio fures, si qui præterirent, constrictos tenerent, ut pedem loco movere non possent : Cætera eiusdem commatis sunt, quæ apud Kircherum, qui volet, legat: At post diluvium, cùm animo advertissent, cæteras Dynastias, totamq; hanc scenam Regum Ægypti, cum S. literis nullâ ratione connecti posse, in quo judicium eorum probo; *viginti & novem confinxerunt Reges, & fœminas Reginas*, novis & in historiis planè inauditis nominibus, ut novi quid protulisse viderentur. Quam eorum vel audaciam vel & inscitiam quis non improbet? Et sic tamen istorum mos fert, ab ipso Alcorano derivatus. De quibus plura deinceps. Sat nunc aliquis, cui pectus sapit, & conciliet ista, *atq; idem jungat vulpes, & mulgeat hircos*. Ego *cràs credo, hodiè nihil!* At tã vera habeo, quæ de Mercurio, *Deo Thaauto aut Thoyth dicto*, eiusq; nepote juniore; *Tati Patre*, ut & utriusq; libris, fabulati sunt Ægyptiis; quàm quæ de Regibus suis Diis & Semideis, quos inter ille vel iste numerantur.

SECT.

SECT. 4.

Fabularum harum fons & fundus: quandò? quâ de caussâ? & undè confictæ fuerint?

DE Ægypti Regibus post cataclysmum, *à Menâ* ducto exordio, non est cur hoc quidem loco sollicitus sim. Non difficulter accedo *Conringio*, qui *in Adversar. Chronolog.* Historiam Herodoti Ægyptiam, à Psalmmeticho Rege, usq; ad Cambysen Persam, & sacris literis & veritati, sic satis esse consentaneam, docuit, *cap. 15.* Superiorum temporum Reges, resq; eorum gestas incertas, nec ipsis Ægyptiorum Sacerdotibus exploratas, aut studio fallendi, celatas fuisse, plus tamen inesse verisimilitudinis Herodoti narrationibus, quàm Manethonis aut aliorum, *capp. seqq.* De Regibus *Djs & Semideis* omnis est controversia: Hos si ratio ipsa, nàm de divinitùs patefacta veritate nihil attinet dicere, ex albo, non dico Regum, sed rerum ipsarum, expungit,

git, actum est de utroq; Mercurio: ut sciscitari porrò de alterius vel utriusq; libris, nullius esse possit, nisi ad Anticyram ablegandi. Ut fabulæ Ægyptiacæ magis in conspectum veniant, ad fontes indagandos nos accingemus. Rem in pauca contraho *problemata:* Quæro;

I. *Fueritne Ægyptus habitata & regnata ante diluvium?* Non video; cur Vossius, Regnum aliquod Ægyptiacum, ante Phalegi tempore, mundiq; inter Gentes divisionem post diluvium factã, extitisse negare simpliciter debuerit? Moses ante diluvium *Potentes* passìm in terrâ Tyrannos *famâ super æthera notos*, dominatos disertè exponit, Gen. 6. ℣. 4. Nam quod Ægyptum veteres mari tectam diu, à Nilo demùm accumulato limo accrevisse, undè & Νείλε δῶρον vocata, tradiderunt; rectè Kircherus interpretatur; non de totâ, sed de eâ parte, quæ *Delta* dicebatur, accipiendum esse. Itaq; non abnuam Reges aliquos Gentesq; tùm temporis, eam possedisse terrã, quæ multis pòst seculis Ægyptus appellata fuit. Quæ regiminis ratio, qui mores quæ instituta

tuta fuerint? ex Mosaicâ historiâ unicè colligi debet, & quantum sufficere potest modestis ingeniis, etiàm potest: ut ad fabulas *de Bello Atlantico* Platonis; ad Chaldæorum computationes chronologicas, *coctilibus laterculis inscriptas*; ad librum *Henochi* supposititium, fabulasve Thalmudicas *de duplici fame*, sub Adamo & Lamecho, *deq; Enosæo diluvio*, & id genus *Annales Volusianos*, confugere non sit necessarium, nec tutum. Etsi non nego, aliquas antiquæ Traditionis, cum Mosaicâ historiâ consentientes, reliquias deprehendi in omnium ferè populorum fabulis.

2. *Quinam illi in Ægypti, aut alibi gentium Reges; quove nomine fuerint?* hoc æternâ nocte absconditum latet: neq; spes est ulla, ut erui unquàm posśit, certaq; fide produci in lucem. Unum scimus ex Mose, *decem capita* familiarum fuisse in Populo DEI ab Adamo usq; ad Noham: quos *Patriarchas* dicimus, & Reges quosdam fuisse, cum patria jn suc po-testate, nemo inficias ibit. At in familiâ Caini *duodecim* reperimus nomina;

 septem

septem virorum, qui sunt : *Cain, Hanoch, Irad, Mahujaël, Methusaël, Lamech, Jabal, Jubal, Thubalcain:* Tria fœminarum, *Adæ, Zillæ, Noëmæ.* Cainitas verò Tyrannidem exercuisse, missisq; longè lateq; coloniis, urbibusq; conditis, orbem occupâsse; tùm verò Ecclesiam DEI, piosq; Sethanos partìm vi & armis sibi sub jugâsse; partìm deliciis & opibus inescatos irretitosq; ad se traxisse: cùm longâ pace & felicitate maximâ florentes ipsi, in omnia se voluptatum genera effunderent, DEIq; timentes, omnium egenos, durâq; servitute pressos, naso suspenderent; quo evenerit, ut tandèm illi, excepto Nohâ omnes ab avitâ pietate desciverint, mundoq; contaminato fatalem eluviem induxerint; manifestum est.

3. *Unde ergò tot Dij, tot Semidei Gentium; quos Reges & ab obitu consecratos fuisse certum est, nec pagani dissimulant?* Non dubium, quin hæc fabularum commenta *abortus* quasi quidem sint humani ingenii, concepti è *semine primigeniæ veritatis.* Legat aliquis in fabulis, *Saturnum* patris sui Cœli genitalia exsecuisse, è quorum

rum sanguine enatæ sint Erinnyes: Eundem patrem regno exuisse, fratres Titanas compeditos in Tartarum præcipitâsse: & quoniàm ei pater Cœlus materq; Tellus prædixissent fore, ut à filio principatus dejiceretur, ideô natos simul in lucem editi essent, deglutire solitum, denique à filio Jove victum vinctumque Centimanis in Tartaro custodiendum fuisse traditum; *apud Apollodorum l. 1. Bibliothecæ.* [Sic Insulares quosdam narrâsse, in propinqua quadam Britanniæ insulâ, Saturnum nexu quodam somni vinctum à Briareo custodiri, multosque ei Dæmonas adesse ministros, *refert Plutarch. de Orac. Def. & Euseb. l. 5. Præparat. cap. 9.*] Qui hæc legerit, idem jam recognoscat *Lamechum* primum adulterum, paternæ cædis reum agi, quod *Cainum* in venatu imprudens interfecisset: quanquàm *Ephrêm Syrus*, homicidia mulierum causâ perpetrâsse ferat, ut viris peremptis illas sibi copularet, *in Catenâ Zephyrini:* cogitet; annon verisimile sit, eundem hunc ipsum Cainum expulisse regno, cùm intemperiis agitaretur, ob tot

ſcelera in patrem Adamum, in fratrem Abelem, & cæteros conſanguineos commiſſa,

Torpidus, & multo collidens membra tremore,

Tertull. in Geneſi. Quid? annon ſtatim in Saturno Cainum intelligit, in Lamecho Jovem? Mitto alia, nec enìm hoc exſequi lubet, ſed tantum digito indicare, & decurrerunt campum hunc jam alii. Si Lamechi filii *Jabal & Jubal*, uterq; à buccinâ arietinâ dicti, hic Paſtor, ille Muſicus, nunquid *Mercurius* ſunt & *Apollo*? At fœminæ; *Ada* ab ornatu dicta, annon *Juno*? *Zilla* à latendo, *Latona*? *Noëma* à venuſtate *Venus*? Quid *Thubalcainus*? annon manifeſtè Vulcanus? Ita ex his Cainiticis Proceribus *Dii Conſentes* dicti excogitati ſunt, ut Voſſius ipſe agnoſcit.

4. *An ergô ex eodem fonte Ægyptiorum Reges Dii & Semidei?* Non aliundè. Nam primùm, qui Reges Dii, *octo numero*, fuerint; non obſcurum eſt: recogitemus modò, quæ de Ægyptiorum antiquiſſimâ Aſtrolatriâ ſuprà expoſita ſunt, *Exercit. sect. 6. & 2. sect. 2.* PAN ille

primus

primus omnium, *Mundi Spiritus* eſt, univerſi molem agitans: huic ſucceſſiſſe fingebantur cæteri ſeptem *Planetarum præſides*. Poſt hos qui præfuêre, ſi qua fides, *duodecim Reges*, Djs geniti, mortali genere merito vrtutum, propterq́; beneficia, & artes inventas, DEorum, ut ita dicam, lexiarchico, à poſteris, adſcripti, quinam alii ſunt, niſi illi aliarum Gentium *Dij Selecti*; illi *duodecim Cainicæ ſtirpis q. rami*, de quibus modò diximus? At Chaldæi, ut meliore luto ſe fictos crediderunt, ita ad *decem Patriarchas* reſpexerunt, & ex iis *decem* ſibi *Reges Antediluvianos* excuderunt. Nomina ex Apollodoro, aut Beroſo, & Abydeno citantur à *Scaligero*, & indè *ab Ruperto nuper in Obſervat. Hiſtor. ad Synopſ. Beſoldi, ut & Kadero in Animadverſ. ad Chronic. Alex.* Suntq́; hæc: *Alorus*, *Adaſparus*, *Amilon*, *Amenon*, *Metalarus*, *Dæorus*, *Ædorachus*, *Amphis*, *Otiortes*, *Xiſuthurus*. Nomina ſunt ipſo tremenda ſono. Quæ quàm aptè conficta ſint, viderint qui Hebraicam linguam callent, aut Chaldaicam eius Dialectum, nam alia ante diluvium fuiſſe nequiit.

5. *Qui primi logorum horum De Diis Regibus & Semideis artifices?* incertum. Duo tamen, spero, invitos mihi concessuros eruditos; cœpisse hanc idololatriam *ante diluvium*, & quidèm *autoribus Cainitis*: quorum *prius* alibi ostenditur, ut à Seldeno de Diis Syris, & ratio persuadet; quod Cainitica Resp. nec sine aliquâ, nec cum verâ Religione potuisset consistere; *posterius* consequens est, & necessarium. Nec refragabor Arabum traditioni, quam affert *Kircherus*, profectos Caini posteros aliquos in Ægyptum, regnum ibi condidisse, & novis confirmâsse religionibus. Post diluvium primi hominum Chaldæam & vicina eius insedêre: nec dubito, quin ibi idololatria nata, posteà apud Ægyptios inprimis educata & alita fuerit: ab illis ad Asiaticos Jonas; ab his ad Græcos Bœotios, per Phœnicas, Cadmi socios, profecta. *Tempore Seruchi exorsa est superstitio hæc*, ut habet Epiphanius: *Ægyptii & Babylonii, Phryges & Phœnices autores eius fuerunt: ab his translata ad Græcos, ab ætate Cecropis, & deinceps.* Quâ de re lectu digna *Lucianus*

de

de Deâ Syriâ. In Ægypto tamen non eadem ſemper religionis ratio fuit. Jam ante Moſis & Joſephi tempora Magiam & Aſtrolatriam ibi regnâſſe, ex S. literis conſtat. Poſteà ſuperſtitionis non parum acceſſit ex aliarum Gentium vicinarum commercio: inprimis cùm Phœnices & Græci illò, & in Libyam vicinam colonias transtuliſſent. Sic ſivè à Judæis, ſivè poſteà à Palæſtinis, tempore Joſuæ, metu eius profugis, *circumciſionem & abſtinentiam à carne ſuillâ*, aliaq; videtur accepiſſe. Nec dubium, quin novi ſubindè Domini, *Arabes, Perſæq;*, mox etiàm *Macedones & Græci*, multa priſcæ ſuperſtitionis obliterârint, novæq; invexerint: usque dùm ea tandèm ſub Ptolomæis Regibus ad ſummum incrementi gradum pervenerit. Porrò fabularum eadem origo fuit & conditio, quibuscum ſuperſtitio & nata eſt, & ſuccrevit, & cùm hac illæ ipſæ: quæ diverſis autoribus diſſeminatæ, multiplici dæmonum artificio inter ſe couluerunt.

6. *Quo tempore videantur iſtæ de Diis & Semideis Regibus excogitatæ fabulæ?* Id verò

verò dictu difficile est. Puto tamen, 1. Ægyptios à Sabæis & Chaldæis ἀστρολατρείαν ab antiquissimis temporibus accepisse, coluisseque Spiritum illum Mundi, eiusque ῥαβδοφόρους septem Planetas, & βουλαίους, duodecim Zodiaci signa, *ut suprà Exerc. 2. sect. 2.* De hæc Sabeorum superstitione multa *Majmonides in More Nebuch. & D. Hottingerus in Hist. Orient.* 2. Credidisse eosdem; DEOS olìm aureo quodam seculo inter homines conversatos, donec

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit: Ea enìm per omnes ferè gentes vulgata fuit persuasio, orta ex Mosaicis historiis, in quibus tot apparitiones sanctis Patribus factæ enarrantur. 3. Hinc DEOS quosdam apud se regnâsse, ausos fuisse comminisci, quibus Semidei, Deorum istorum progenies, successerint: *quorum animæ in cœlo fulgeant, inter stellas:* Nam & hæc pervetusta fuit opinio, animas redire in patrium cœlum, & inter eius lumina splendere. *Sic Isidem putabant esse Sirium, Orum Orionem, Typhonem Ursam,* ut Sacerdotes *apud Plutarch. de Iside & Osir.*

Osir.&c. 4. Hinc, cùm inter cœleſtia & terreſtria animantia, quandam cognationem naturæ & Sympathian deprehendiſſent, aut etiàm confinxiſſent, exorta eorum ζωαλατρεία eſt, *de quâ in S. Analector. Volum.1.* dixi. Atque hoc fine forſan ſtetit Ægyptiorum Theologia antiquiſſima, niſi quod Magica palàm eſſet, quo tempore in Ægyptum deſcenderunt Jſraëlitæ, invitati à Prorege Joſepho. Tum verò, 5. non dubium eſt, quin unici veri DEI notitiam iterùm perceperint; cuius etiam umbram aliquam poſteà *Thebaidæ incolæ* diu retinuerunt. Illi enìm *DEUM vocabant Kneph, ortus expertum & immortalem; Soli immunes, cum cæteri Ægyptii ſacris animalibus alendis conſtitutum ſumptum contribuerent.* 6. *Oſiridis & Iſidis, Hori & Typhonis* eò usque nulla omninò videtur extitiſſe mentio: Seriùs hæc nomina celebrata, & fortè â Græcis traducta, quod non obſcurè inſinuat Plutarchus. Mercurium *Thaautum* primus confinxit *Mneves*, de quo deindè commodius. 7. Quæ ſecuta ſunt tempora, ab exitu Iſraëlitarum, usque ad

ad Psammetichum Ægypti Regem, Ægyptias de Dijs fabulas videntur sensim peperisse, Græcis & Phœnicibus, aliisq; Syris, mutuas in fingendo operas sibi navantibus: 8. Tandèm sub Psammeticho certari de antiquitate inter has Gentes cœpit, fabulisque imponi quasi colophon. Antè per aliquot secula Ægyptiis cum Græcis inprimis nihil ferè commercii, prohibitusque exteris diu in Ægyptum accessus fuit, dùm *Psammetichus tandèm peregrinis emporia patefaceret, securitatemq; & commeatum concederet*, ut docent *Herodotus, Strabo, 17. Diodorus 1. c. 67.* Quare, ut longo tempore inhospitalis; sic etiàm barbara, omnisque humanitatis rudis & ignota videtur fuisse Ægyptus. 9. Ergò indè à Psammeticho fabulæ hæ vel natæ, vel renatæ; deinceps Sacerdotum studio, maximè regnantibus Ptolomæis, ut deformes pupæ, fingi, pingi & poliri cœperunt: ut tamen nulli prudentiori, ne quidèm ipsis suis autoribus, diu placere potuerint. *Tenue enim mendacium est*, ait Seneca, *perlucet, si diligenter inspexeris*. Hinc novæ quotidiè narrationes,

nes, ſibique invicem planè contrariæ, & veterum tàm diverſæ explicationes, quàm & adverſæ, ut ex Tabulâ de Iſide & Oſiride à Plutarcho explicatâ liquidò apparet. Denique 10. videor mihi *tria intervalla* obſervâſſe, quibus paullatìm hæ fabulæ, *de Djs Ægypti Semideisq́; Regibus*, ſuccreverint. Nam *principium* earum ponendum videtur in tempora Regis *Menis*, aut *Menæ*, cui primus Ægypti Legislator, *Mneois* nomine, videtur fuiſſe ſuppar. Hic eſt ille Menes, qui rudes & brutos ferè Ægyptios ad humanam cultus victusque rationem traduxiſſe legitur, quam luxus & opum cupido ſequi ſolent: Hinc *Technatis*, qui *Bocchorim* genuit. Quantũ Ægypti legislatorem, cùm in Arabes exercitum ducens, in fame non quæſitis alimentis cum voluptate uſus eſſet, inq; gramineo thoro ſomnum ſuavem cepiſſet, *Menin* exſecratum eſſe dicitur, eamq; exſecrationem ferunt approbantibus Sacerdotibus columnæ inſcriptam, Thebis in templo poſitam. *Medium* colloco in tempora Pſam̃etichi, quibus Sacerdotes in poliendo operã curamq; contulerunt, ex occaſione ſuſcepti

eum

cum aliis Gentibus, Græcis præcipuè, de antiquitate certaminis. *Finem* invenio ſnb Ptolomæo Philadelpho, & inſecutis Regibus, quo tempore ſtudium, fabulas has omnibus pigmentis adornandi, maximè fervebat, callido Diaboli aſtu, ut ſtatìm dicam: conatus tamen iſte mox in nervum erupit, cùm veritas, comparata mendaciis tàm inter ſe diſſonis, magis magisque eluceſceret. Undè jam quoq; clarum evadit,

7. *Quæ fuerit ratio fingendi?* Primùm ſcilicet impulit *ambitio*, ut antìquitatis gloriam ſibi vindicarent: Deindè *odium* in Hebræos, cujus *Joſephus l. 1. contra Apion.* teſtis eſt, & clara paſſim in S. literis extant argumenta. Acceſſit *ignorantia* veræ hiſtoriæ antiquæ, *pudorq; & metus* amittendi non tantùm ſperatum antiquitatis decus, verùm etiàm omnem apud ſuos fidem autoritatemque. Videbant emergere veritatis conſpicuam lucem, & tot næniarum diſpellere caliginem; cùm & Propheticà doctrina paſsìm auribus acciperetur non adverſis, & ſcripta etiàm manibus

teri

teri inciperent. Audaciam denique fingendi fecit *spes latendi*. quod scirent, res Ægyptiacas paucis exterorum perspectas, celatas etiàm, miris portentis & hieroglyphicis Scripturis, ipsis inquilinis & domesticis: Securè mentiri posse, qui penè certi sint, mendacio sua vix posse refelli. Ergò mundum ab æterno extitisse persuasi, cùm veras eius origines, temporaq; ante cataclysmum, nec cuperent scire, & adeò studerent occulere, infinita secula sub Regibus Djs Sidereis computare ausi sunt. Deindè cùm ad humani sanguinis Reges veniendum omninò esset, duodecim Semideos produxerunt, quot familiarum capita ex verâ θεοπαραδότῳ traditione acceperant. In quo commento ita astutè versati sunt, ut eo ipso, quo aliqua S. literis consentanea dicerent, earum fidem apud suos elevarent, suisq; fabulis adstruerent. Hoc erant illi ingenio: Diaboli invidentia, studiumq; DEI gloriam intervertendi, ac perpetua cum DEI populo ipsorum æmulatio, ita sæpiùs perpulêre, ut omnia huius decora ad se raperent. Res mul-

tis exemplis testata, & vel unicum illud *de Senacheribi clade*, quam Sethon Vulcani Sacerdos precibus ei suis intulerit, *corrosâ per mures divinitus immissos omni eius armaturâ*, ut apud Herodotum gloriati sunt, ad fidem faciendam satis est. In hoc gnaviter impudentes se præbuerunt, *Chæremon, Manethos, Lysimachus, Ptolemæus Mendesius, Apion*, alijq; , quos citant *Plutarchus de Iside & Osir. & Apollonij Scholiastes supra*: qui nihil non moliti sunt, ut S. literarum luminibus obstruerent. Ita Græcos accusat *Tatianus adv. Gentes*, quod quæ à Mose accepissent, fabulis suis depravârint, ut proprium quid deprompsisse viderentur; & quo nomine reprehensi *à Catone & Sempronio* leguntur, *ut omnium Gentium urbiumq; conditores suæ stirpis fuisse, possent gloriari*. Id mirari adhuc unum scitariq; lubet;

8. *Quî factum sit, ut fabulæ tàm putidæ fidem apud Ægyptios invenerint?* Sed hæc divinæ iræ justæque excœcationis exempla sunt: hæ Diaboli fallaciæ, hæc errorum efficacia! Hinc stupor ille summus non populi tantùm, sed & Regum pro-

procerumque, quem prodebat fœdiſſimus animalium cultus. *O ſanctas gentes, quibus & naſcuntur in hortis Numina!* Legat apud Plutarchum, ut & apud Herodotum, Strabonem, & alios, qui volet, inſanas Ægyptiorum cerimonias. Adhuc *Epiphanij* tempore fuêre, *qui ſe in Croni honorem ferreis incluſêre vinculis, comam promittentes, amictu ſordido*, velut in luctu reatuque conſtituti, *naſo etiàm ferreo annulo perforato.* At *alii Harpocratem nutricum in morem domi, q. præmanſo in os ingeſto, nutriebant, eũ in ulnis circumgeſtabant: alii palàm furere, Hori DEI enthuſiaſmo correpti, conſueverunt.* Nec deerant miracula, quibus vulgus ludificarentur: *faciem certis inunctam ſuccis, in ahena ebullientia ſolebant immergere, citra noxam: poſteà petentibus, manu abſterſâ facie, aliquid eius aquæ impertiri, ſanitatis & medelæ gratiâ.* Ita ille ad fin. Panarij. Faſtus quoque & inſolentia mentis quaſi oculum extinxerant, ut nihil viderent. Hinc ſtultitia illa, quâ cæteris ferè omnibus nationibus contrarij eſſe ſtudebant, eò usq; progreſſi, *ut pultem pedibus & lu-*

tum manibus subigerent, quâ de re Anaxandrides, Comicus *apud Athenæum l.7. Dipnosophist.* Sic Japonenses hodie Chinensium odio contrarios planè mores assumpserunt: Nam *ut Chinenses salutandi officium manibus & capite præstant; ita illi calceos à pedibus excutiunt: Isti cùm aliquibus honorem habere volunt, assurgunt; hi in terram resident: illi alunt barbam; hi menta depilant, &c.* Varenius in descript. Japon. cap. 3. Denique argumentum publicæ Ægyptiorum amentiæ fecit, quod à Sacerdotibus suis modis omnibus delusi, nasoque circumducti, nihil sentirent aut intelligerent. Nam *sacra illi sua clàm populo habebant, ut in majori esset veneratione, quod quale esset, vulgò ignoraretur: metuebant enim, ne si palàm fierent ipsorum, ab omni rectâ ratione alienæ, de Religione rationes, populus vel irrideret, vel & indignaretur,* ut docet Synesius de Calvitio.

Sect.

SECTIO 5.

Libri Hermetici, & ex Græcis imprimis & Arabicis autoribus cùm ἐπικρίσει generali.

UTrumq; Ægyptiorum Mercurium non minùs fabulis esse deputandum, quàm & eorundem Reges DEOS atque Semideos, quos inter isti numerantur, puto constare ἀφιλονίκοις. Ex quo per se conficitur, omnes libros, qui ejus nomine venditantur, esse spurios & ψευδεπιγράφους. Quod & inspectione ac examine manifestum evadit. Primus omnium Mercurii librorum, quantum equidèm recordor, meminisse videtur *Manethos* ille Sebennita [post *Mnevin Legislatorem*, si qua Diodoro fides est, qui leges suas, à Mercurio sibi traditas, finxit;] post Herodotum, cui libri isti ignorati fuerunt, annis 159. ante Christum ferè, 283. Nàm quod *Philo Biblius*, qui, ut *Suidas* indicat, post Adrianum Imp. vixit, altero post Christum seculo, *Sanchonia-*

choniathonem ex libris Mercurii profeciſ-
ſe mentitur, ſuo loco diſcutiendum eſt:
& citat ille Philo librum Mercurii *Thaau-
ti, de Origine Mundi*, apud *Euſeb. 1. de
Præparat. cap. 7.* quem ex iis, quæ ex eo
deſcribit, fabuloſiſſimum fuiſſe oportet.
Poſteà verò ſub Trajano Imp. *Plutar-
chus* hæc *de Iſide & Oſiride* habet: *Proditum
memoriæ eſt, in iis libris, qui MERCURII
LIBRI DICUNTUR, ſcriptum eſſe de
ſacris nominibus: Eam poteſtatem quæ So-
lis converſioni præeſt, Horum Ægyptiis,
Apollinem Græcis appellari, &c.* Hæc ille
notatu digniſſima, qui ab *Eunapio Sardia-
no* φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη καὶ λύρα non
immeritò dictus eſt. *Plutarchi*, ut idem
Eunapius refert, *præceptor* fuit *Ammonius*,
inter principes eius ævi Platonicos; huius
diſcipulus fuit *Plotinus* quoque, ut eſt
apud Suidam, qui usque ad Galienum
Imp. occiſum anno Domini CCLXIX.
vixiſſe refert, quod expendere non vacat.
Vitam eius deſcripſit *Porphyrius* profeſ-
ſus ſe eius diſcipulum fuiſſe, condiſcipu-
los habuiſſe *Origenem, Amelium & Aqui-
linum*, ut habet Eunapius, & his ait ſuc-
ceſſiſſe

cessisse *Jamblichum*, Porphyrii auditorem. Hi primi omnium inter Græcos Scriptores, nomen & scripta Thaauti celebrârunt, ac ad testimoninm citârunt: Magi omnes, & Christianæ religionis ferè desertores, atque posteà jurati hostes, intra secundum & tertium à nato Salvatore seculum. Ac Jamblichus quidèm *trabali*, ut sic dicam *mendacio* Mercurium dixit, scripsisse, *de Ægyptiorum sapientiâ libros XXXVI. CIↃ. IↃ. XXIX.* ut suprà audivimus. Ex eo numero sunt. quos *Franciscus Patritius* passìm citat Discuss. Peripatet. Tom. 2. lib. 2. & 3. & Tom. 3. lib. 1. *Sermo Sacer, Catholicus, de Mente Communi, Allocutio Mentis, Crater, Clavis, Pupilla, aut Virgo, Monodia, de Mundi geniturâ, &c.* At *Clemens Alex. quadraginta duos*, in adytis Ægyptiorum repositos fuisse, *6. Scromat.* recitat, qui fuerint: *Hymni Deorũ, Vitæ Regiæ rationes, de Astrologiâ Hieroglyphica, Geographica, Moschosphagistica de Sacrificiis, Hieratica de Legibus & Diis, Sacrorumq; ratione: deniq; Medici libri, de humano corpore, morbisq; & medicamentis.* Simlerus in Epitomâ Bibliothecæ

thecæ Gesner: ita recenset: *Hermes Ægyptius PLATONIS DISCIPULUS, FERTUR scripsisse, Imaginum sivè Præstigiarum libros: de Annulis lib. 1. de Charactere, 1. de Sigillis, 1. de Sole, 1. de Imaginibus Martis, Jovis, Saturni, de septem annulis Planetarum, &c. tandem de VERBO PERFECTO, & ad Asclepium, & de Mathesi.* Indignabuntur, qui tàm antiquum faciunt Hermetem, *Platonis discipulum* dici, quem Plato Magistrum se sequi testetur: Sed de hoc posteà videbimus. Ego judicium amplector Gesneri, & calculum meum, si tanti est, adjicio. Citat *Hermetis librum de Justitiâ* Lactantius, Augustinus *ad Asclepium*, qui inter Apulej opera recensetur, titulo: *Hermetis Trismegisti de Naturâ Deorum ad Asclepium Adlocuta, Apuleio Interprete*: quem tamen ab alio ævi inferioris Scriptore è Græco conversum, ex stylo conjiciunt viri docti, ut notat *Elmenhorstius*. *Pœmandrum Hermetis*, ignoratum priùs Latinis, primus in Italiam è Macedoniâ advexit, *Leonardus Pistoriensis Monachus*, ut docet *Marsilius Ficinus*, qui primus Latinè ver-

tio

ſtit & edidit. Plura mox: Supereſt *Arabum & Sabæorũ de libris Hermeticis* teſtimonium. Sed quanti hoc faciendum ſit, duobus argumentis conſtare debet, ut alia differam. Primum ſuppeditat ſuppoſititium *nomen autoris;* alterum, *res ipſa & materia*, in ijs libris contenta. *Autorem* vocant ferè *Adris* non ex *Oſiridis* nomine, ut divinabat *Kircherus;* verùm, ut ex ipſis Arabibus doctè oſtendit *Hottinger. Hiſtor. Orient. l. 1. cap. 3.* à radice Arabicâ, דרס *Daras, ventilavit, diſputavit*. Sic autèm primus omnium appellavit *Muhammedes* in Alcorano, *Henochum Prophetam*: de quo Arabes poſteà, ut & Hebræi quidam, eadem omninò fabulati ſunt, quæ Ægyptij & Græci de ſuo Mercurio. Nam quæ de hoc Diodorus Siculus; *varijs rebus indidiſſe nomina, inveniſſe medicinam, & lyram: docuiſſe* ἑρμηνευτικὴν, *rationemq; ſacrorum, quibus colendi eſſent Dij: fuiſſe adeò omnium artium autorem, conſiliarium. Ducem, Bellatorem optimum*, & id genus plura: Eadem de Henocho, de Adris, Hebræi & Arabes: *fuiſſe ſtrenuum contra Cainitas Ducem, primum literarum poſt Sethum, ar-*

morum

morumque inventorem : repcrisse pondera rerum & mensuras, &c. Quid multa? *Primus*, ajunt, *sartor fuit Adris: nam antè vestiebantur homines pellibus: itaq; pro isto invento Deo gratus, quoties acum cũ filo per pannum trajecit, toties nomen Dei celebravit*, vide hæc apud Kircherum & Hottingerum. Undè hoc tàm festivum? vide & ride. *Mercurium narrabant Ægyptij, testaturq; Alexander Polyhistor, quo tempore ad Ammonem ovium divitem cum Osiride Rege venisset, palpati arietis delectatum mollitie, deglubatâ ovicula è lanâ filum eliquasse: Sic lanitium ostensum Isidi, inventamq; sextilium vestium rationem*, Tertullian. de Pallio & Salmasius in Comment. Intellige hinc Hebræorum & Arabum ξηροκακοζηλίαν quâ, nequid inviderent fabulis Gentilium, eas sacris Historiis miscuerunt, quàm impudenter, tàm imprudenter! Et simul collige, quàm recentes sint *Arabum traditiones de Adris*; cùm, ut statuit Hottingerus, *certò tenendum sit, nullum librum Alcorano antiquiorem erui posse, in quo Adris ille pro Enocho ponatur*. Sed librorum inscriptiones & *argumenta videamus. Henocho*

nocho autem, ait Hottingerus in Thesauro Philolog. p.85.86. *constantissima in Oriente fama gemina tribuit Scripta: Sacra;* puta Prophetiam illam, de quâ S. Judas in Canonicâ suâ: *& Profana*, de quibus Autor libri Iuchasin: *Hanoch, qui vocatur Edris, incepit componere libros Astronomicos:* & Beidavi, interpres Alcorani: *Hanoch dictus est Edris, propter multiplex studium. Demisit enim ei Altissimus triginta volumina. Item primus refertur Calamographus, Astronomiæ & Arithmeticæ inventor* Similia repetit Kircherus *Oedip. Syntagm. 1.* ut ex Achmet Ben Ioseph Eltiphasi: *Et natus est Iaredo filius Hanuch, ipse est Hermes, sivè Idris, Propheta. Fuit autèm Rex his temporibus Maguel, filius Hanuch, filius Kabiel*, id est, Caini, *& conservavit ipsum Deus, deducens super eum triginta libros, & fuit sectâ Sabæus, primus unitatem Dei professus, purificationem, jejunium, orationem, similesque cerimonias coluit: & transmigravit in Orientem, audieruntq; eum Reges ejus, & ædificavit CXL. urbes, quarum minima erat Rasa*, id est, Edessa: *indè reversus est in Ægyptum, & subditus*

ditus ei fuit Rex eius: &c. Inter Sabæorum libros, plerosq; Magicos & Theurgicos, citat *R. Moses Majmonid. in More Nebuchim*, & ex eo Hottinger. l. 1. Hist. Orient. cap. 8. p. 176. Librum aliquem *Hermeti* tributum, & alium *Aristoteli, de Imaginibus loquentibus*: sic oracula edentia Idola audiunt, quæ ab Hebræis *Theraphim*, ab Arabibus *Tilsemat* dicuntur. De talium constructione agit Mercurius ille, si credere fas est, *Trismegistus in Asclepio.* Tales fuêre Mercurij libri, ex quibus *Bytis Ægyptiorum Propheta docuit rationem* unionis hominum cum DOMINO; *ut habet Iamblichus de Myster. sub fin.* Sic Marsilius Ficinus in Argum. Cratyli & Apolog. Platon. ait: *Mercurium docuisse, quomodò statuis certo ordine factis Dæmones aut Angeli possint includi, ut quasi animentur: hanc posteà Plotini & Jamblichi doctrinã fuisse: at Pythagoræ; quomodo verbis quibusdam divinis animi & corporis morbi curari possint? Quâ quidèm in re, inquit, compertum habemus totã Zoroastris sapientiam constitisse, &c.* Habes ergò *indiculum librorũ Mercurij Trismegisti*, quos ego tùm patiar mihi persua-

deri

deri ab ipso conscriptos, cùm credidero, ab Henocho nostro conscribi potuisse. At enim hunc ait Clemens Alex. *in Prophetiâ suâ* dixisset: *Ipsos illos Angelos transgressores fuisse, qui Astronomiam & Μαντικήν, aliasq; eius farinæ artes docuerint*, in Eclog. Prophet. Quod ut extra omne dubium est; ita omnes eius generis libros, nulli alij nisi Diabolo autori, adscribendos esse consequitur.

SECT. 6.

Quænam sint Imagines loquentes, Theraphim, Tilsemat? Libri de ijs, & alij Magici, quandò apud Græcos & Arabes conscribi ediq; cœperint? Arabicorum scriptorum antiquitas.

Innumeri sunt pessimi huius commatis Magici libri, optimis etiam ac sanctissimis Autoribus adscripti, immani scelere & manifestâ Diaboli fallaciâ; *Adamo,*

damo, Setho, Henocho, Abrahamo, Salamoni, & quod dictu horrendum atq; execrabile est, *ipsi Domino ac Salvatori nostro.* Catalogum exhibet *Delrio Disq. Magic. l. 1. cap. 3. & l. 2. Quæst.* 3. Jnter eos non infimum tenent ordinem, qui modum tradunt *conficiendi Imagines, Oracula edentes,* aut opera quædam mira efficientes. Talis est illa Trismegisti *Adlocuta ad Asclepium.* Visum igitur duo breviter exsequi: 1. Quid de istiusmodi Imaginibus statuendum; & 2. quo ferè tempore libri de istis conscribi vulgariq; cœperint? Quæ eò spectabunt, ut palàm fiat; Hermeticos istos non adeò antiquos eâdem fraude Mercurio tributos, & quasi celebris nominis suspensâ hederâ venum esse expositos, quâ alij eius generis tot sanctis nominibus inscripti sunt.

Imagines illas *Magicas* antiquissimas esse, diciq; in S. Literis *Theraphim,* satis constat. *Rangolius in 1. Regum c. 19. v. 13.* ubi de simulachro Micholis, notat hæc: *Hac voce ter & decies Scriptura usa est: quibus omnibus locis, de alijs quam de Idolis exponi non*

potest

poteſt: tametſi forſitan hoc uno loco diverſâ ratione, citat Genes. 31. ℣. 19. 35. 36. Iudic. 18, 24. & ante cap. 17. 5. ac cap. 18. ℣. 14. 17. 1, Reg. 15. 23. 4. Reg. 23. 24. Ezech. 21. 21. Zachar. 10. 2. Oſee. 3. 4. *Lxx Interpretes* modò θεραφὶν retinuerunt: modò poſuerunt pro eo εἴδωλα *ſimulachra, idola; modò* γλυπτὰ *ſculptilia*; modò Δήλυς unde & *Urim* δήλωσις â manifeſtando, *Oracula*, ut apud Cyrill, in 3. Oſeæ: modò ἀποφθεγγομένους, *loquentes*, ψευδοεπεῖς, ψευδηγόρυς, Cyrill. Zachar. 10. Deniq; 1. Reg. 19. in hiſtoriâ Micholis habent κενοτάφια, quod exponunt aliqui apud Rangolium, & ipſe veſtes compoſitas ad formam hominis, in lecto decumbentis: Aquila ibid. μορφώματα. Hinc definiunt: *Theraphim ſunt imagines factæ, ut futura ex eis cognoſcantur*, R. Rimchi: vel; *ſunt imagines, quæ Magorum operâ loquebantur, quæ qui faciebat, ad certam horam anniq; tempus habebat reſpicere*, R. Salom. Iarchi. Toſtatus Epiſcop. Abulenſ. in Genes. *Erant*, inquit, *quædam capita ex metallo, certo quodam tempore, & ſub certis ſiderum aſpectibus & conjunctionibus planetarum*

facta; ut indè virtus derivaretur à cœlo, in illud caput, fieretq; potens respondere consuentibus & interogantibus: idq; fiebat partim per Astrologiam, & partim per Necromantiam. Fecit huiusmodi caput Albertus Magnus de ordine Prædicatorum, quod discipulus eius S. Thomas quodam die confregit, hæc ille. Sed quod *de Alberto dicit, fabulas esse*, addit Kircherus Oedipi Syntagm. 4. quas tamen multi credunt, caputq; hoc æneum Magiæ artificiali tribuunt, *apud Delrium l. 1. cap. 4.* Arabibus ea idola dicuntur *Tilsemat*, aut *Talismata*, forte à Græcorum voce τελέσματα, quibus eruditè, ut solet, *Hottingerus Histor. Orient. l. 1. cap. 8.* Ægyptijs *Serapes*, si fides *Abenephio* apud Kircherum: *Erant*, inquit, *Ægyptijs simulachra quædam puerili figurâ Ægyptiacè dicta Serapes, quæ adorabant de futuris & absconditis interrogantes. Passim in celebrioribus urbium locis collocabantur, solebantq; ante ea adolere, eaq; contra mala eventa secum portare. Similia hic Theraphim, quæ colebant Israëlitæ, quæq; Laban adorâsse in Scripturâ memoratur; feruntq; domesticos Abrahami ea cùm in Ægypto commorarentur,*

tur, inde reduces secum absportâsse. Quæ de nominis etymologiâ, *undè Theraphim dicta fuerint?* an, ut vult Kircherus, à Serapidibus istis? undè *Tilsemat?* & *de modo Magico conficiendi*, ex capite hominis primogeniti amputato, saleq; posteà & aromatibus condito, suppositâ linguæ laminâ aureâ, Cacodæmonis cujusdam nomine inscriptâ; & id genus Docti citati, aliiq; multi Interpp. S. Literarum disputant, referre longum est. *De Inventore* tamen, inventiq; *antiquitate* dicendum est aliquid. Hottingerus, *communi Arabum, Muhammedanorũ pariter & Christianorum calculo Talismas in orbem invectas tradi* refert *ab Apollonio Thyanæo*, Mago illo celebri, sub Domitiano, circa finem primi seculi à nato Salvatore. Meminit sanè *Tzezes Chiliad. 2. hist. 60.* Imaginibus eiusmodi *culices eum expulisse Antiochiâ, & ciconias Bizantio.* Atq; id quidèm puto ex historiis certum esse; circa ea tempora ut Magicas artes in universum, sic istas inprimis στοιχειωματικὰς, talia simularcha, ad certum Cœli siderumq; positum, sivè futuris per ista investigandis,

ſivè adverſis averruncandis, conſtruendi, palàm emergere celebrariq; cœpiſſe. Exempla varia ſubminiſtrat, inprimis Conſtantinopoli erectarum, eiusmodi ſtatuarum, quibus *Barbaros, peſtem, ſerpentes* voluerint procul urbe arcere Magi. *Camerarius Medit. Hiſtor. Cent. 1. cap. LX.* ubi rectè aſſerit; Diaboli aſtu, qui ſemper ſui ſimilis eſt, hæc Imaginum Magicarum ludubria oraculis priſcis ſubſtituta fuiſſe, ex quo hæc, oriente Sole Juſtitiæ, evanuerunt. Ita etiàm Chriſtiani Conſtantinopoli non parum fiduciæ in his idolis *averruncis* poſuerunt. Quæ illi à Græcis Magis, Pythagoreæ & Platonicæ Philoſophiæ nomen uſurpantibus, æquè ut & Arabes Saraceni, acceperunt. Confer eundèm *Camerar. Cent. 2. cap. XI.* ubi alia exempla, *& Hottinger. l. c.* ubi plura ex Arabicis Scriptoribus: *Delrium quoq; lib. 2. p. 1. quæſt. 4. ſect. 4.* De Imaginibus maleficis: adde quæ *Olympiodorus*, oriundus Thebis Ægyptiacis, qui *Silvam ſuam Hiſtoriarum*, usque ad Valentinianum III. perduxit, *ad Ann. Dom. CCCCXXV.* & Theodoſio
Junio-

Juniori inſcripſit, exempla affert; *de ſtatua Regij* apud Bruttios *poſitâ, quæ altero pede perpetuum ignem, altero perennem aquam geſtârit, ut & Æthnæos ignes everteret, & tranſitu Barbaros prohiberet*: & de alterâ *in Thraciâ* ſpecie, *trium argentearum imaginum, vultu cultuq; Barbarico, quibus amotis, paucos poſt dies Gothi Thraciam; mox Hunni ac Sarmatæ Illyricum invaſerint, fractisq; veluti repagulis Barbari toto ſe orbe diffuderint, relictis finibus ſuis*. Ergò poſt Apollonij ætatem creberrima iſtarum Imaginum *averruncarum* mentio, ante vix ulla, in hoc genere: Fuiſſe tamen Oracula edentes, & Diabolicis artibus quaſi *animatas*, quibus Magi Sacerdotes paſsìm inſanientes paganorum animos deluſerint, palàm eſt, & ex ſolo Pauſaniâ paſsìm, ut & Luciani Libello *de Deâ Syriâ, Philopſeude* & aliis, varia depromi poſſunt exempla. Quis verò primus harum autor fuerit? incertum eſt. *Ægyptij* Hermetem producunt, & ex Ægypto in Syriam ac Chaldæam veniſſe per Abrahæ familiares domeſticos, affirmat *Kircherus*, teſtimonio Abe-
 nephij

nephij & argumento nominis, nam quæ Ægyptiis *Seraphim*; ea Syris, usitatâ ἀντιϛοιχειώσει, quâ ת *thau* & ש *sin* solent vertere ac permutare, *Theraphim* dici. *At R. Moses Majmon.* originem refert ad Sabæos, probatq; Hottingerus. Syris & Chaldæis ante Abrahamum innotuisse hanc Magicam Idololatriam, *à temporibus Serugi*, ex Epiphanio ferè communis opinio est, de quâ *Salianus*. Sanè Israëlitas non ab Ægyptiis, ut vitulum aureum; sed à Cananæis & Amorrhæis accepisse, & Ægypto intulisse, Scriptura Sacra videtur indicare, *Gen. 35. 2. Amos, 5. 24. Actor. 7. 43. Josue 24. 2. &c.* Quod & *Philo* ille Autor *Antiquitat. Bibl.* disertè ait, quicunq; est: *interogasse eos, Amorrhæorum more, Dæmones Idolorum, & inprimis Nymphas illas aureas, quæ invocatæ per singulas horas ostendebant facienda aut fugienda: quarum idola post diluvium primi invenerint septem viri Peccatores, quorum nomine sint; Chanaan Phut, Selath, Nebroth, Elath, Debuat, &c.* Deniq; ex Oriente Idola hæc ad ipsos Americanos profecta sunt, qui Larium Penatiumq;

loco

loco talia, Dœmonum præſentiâ quaſi animata, coluerunt, *Zemes* dicta, *de quibus Benzo & alii*: videnturq; *à Tartaris* accepiſſe, quos byſſina idola, certis cerimoniis conſecrata, habuiſſe, dixi *Volum. 1. S. Analect. l. 3. cap. 24.* Plura vide apud *Selden. Syntagm. 1. cap. 2. de Dijs Syris.*

Hinc jàm veluti rivulis deducentibus, ad caput & fontem quaſi librorum iſtorum Magicorum, *de conficiendis hisce imaginibus*, licet retrò adſcendere, tempusq; conſignare, quo primùm cœperint evulgari? Serò id eveniſſe, & non niſi magnâ ratione urgente oportet. Nàm mendacij idem eſt ingenium; quod patris eius fugit lucem, timetq; ſpectari: ut veritas contrà nil niſi abſcondi erubeſcit. *Nocte latent fures! Lux comes eſt juſtis: comes eſt nox ſemper iniquis*, Prudentius. Deindè quia majora creduntur, quæ ignorantur; celare ſacra ſua magno opere ſtudûit Diabolus, ut majorem conciliaret iis autoritatem, famemq; excitaret ſciendi abſcondita & vetita cupidis. Ita enim ferè *cupimus ſtudio majore negata.* Hinc myſteria, Orgia, Teletæ, Initia *in ſpelæis & antris ſubterraneis*

neis peracta: Hinc sacra illa ἐχεμυθία, hinc præfationes: *Cantabo doctis! Norunt initiati!* precesq; ut fas esset, *arcana recludere Divûm*: quin & si tacenda effutirent, vindex ira Deorum, ut loqui solebant: adeò ut *ne quidèm impunè quisquam his secretis inveniret* profanus *aut adspiceret, quod non liceret*, ut ait illa apud Petroniũ Saga. Denique ipse Sathan quoties daret responsa, *mussare* solebat *de terrâ*, modisq; omnibus noctem quærebat & tenebras, velut deprehendi metuens. Demum ipsa Divina Providentia non permisit, ut sceleratæ istæ artes publicè traderentur, antequàm mundo paratum promtumq; esset Divini Verbi Alexipharmacum; vigilavitq; ultor justitiæ oculus, dignumq; à catis & cordatis Rerump. præsidibus harum artium Professoribus persolutum est Minerval. Quamobrem tùm primum mundo prodita sunt ista sacerrima sacra, cùm impios & exsecrabiles συνθιασώτας reperirent defensoresque, inter summas mundi potestates: ut jàm noc erubescerent lucem intueri, perfrictâ quasi fronte, nec statutas legibus pœnas extimescerent,

ſcerent. Sic ex Orci tenebris tota examina Magorum proruperunt ſub *Nerone*, floruitq; Magia nunquàm magis, quàm quo tempore diriſſimæ in Chriſtianos perſequutiones exercebantur, extremũ furorem in tuendo dominatu ſuo fatigante Sathanâ. At cùm hoc devicto, & è Cœlo, quod tot ſeculis occupâret, deturbato, jam Chriſtus regnaret; id eſt, ut Eunapii verbis clarè dicam, *cùm Conſtantinus Imperii gubernacula tractaret, paſſimq; fana illa Ethnica*, Gymnaſia inquam infamium artium, *everterentur*; tùm ſtetit paulliſper Magia, & obmutuit, recipiebantq; ſe eius gnati πρὸς μυστηριώδη τινὰ σιωπὴν, καὶ ἱεροφαντικὴν ἐχεμυθίαν, *ad ſacrum quoddam myſteriis conveniens ſilentium:* donec ſub Juliano mox caput iterùm erigere, atque os aperire auderent, ut docet ille *in Vitâ Ædeſii*. Certum igitur habet; neque ante Scripturæ Propheticæ inter Gentes propalàm manifeſtatam noticiam, Magica talia in publicum edita ſcripta; & poſt Evangelij promulgationem *jam*, ut ait Tertullianus de Animâ cap. 57. *Hoſtanes, & Typhon, & Dardanus, & Da-*

migeron, *& Nectabis*, *& Berenice*, *publica literatura erat*: Nec dùm tamen ulli nota aut nominata *Hermetis Magica*, aut ars ipsa fabricandi hæcce idola literis prodita. *Ante Osthanem nulla Magorum monumenta extitisse* testatur, curiosus talium scrutator Plinius, miraturq; *artem tam diu sine libris durare potuisse*: nihil tamen ille neque de Hermetis scriptis, neque de arte eius inventoq; conficiendi στοιχειώματα dicta, uspiam deprehendisse videtur. Ipsum *Trismegisti* nomen necdùm excogitatum fuit. Primi, ut dixi, Platonici Magi, plerique Christi perduelles & Apostatæ, confìcto hoc nomine, Hermetis gloriam propagare studuerunt. Contulerunt operam suam Hæretici quidam, Magi & ipsi: qualis *Scythianus* ille primus Manichæismi autor, *Indorum*, ut gloriabatur, *Ægyptiorumq; vanâ instructus sapientiâ; occasione acceptâ ex Pythagoræismo*, Epiphan. hæres. 66. *De Gnosticis & Prodicianis* dixi suprà *Exerc. 1. Sect. 9.* De *Seleucianis & Hermianis* videantur *Philastrius & Augustinus cap. 59. &c.* Primus, quod equidèm sciam, *de Divinis Idolis*

lis, & præsentiâ Numinum animatis, eorumq́; artificio & mirandis effectis, ausus palàm librum edere *Jamblichus* est. Asclepium Hermetis non multis post annis conscriptum fuisse, posteà demonstrabitur. Scripsit refutationem Jamblichi *Johannes Philoponus*, ut *Photius* indicat *Cod. CCXV.* vixit ille sub Heraclio, & posteà Sergio, Monothelitarum primati, Constantinopolitano Patriarchæ familiaris, quo tempore *Muhammed.* eiusq́ue successores *Abubecker & Omar*, victricibus armis Syriam, Palæstinam, Ægyptũ, subegerunt. Quare undè Arabes tandèm ista Hermetica nacti sint, jam claret. De quibus *Hottingerus in Analect. Histor. Theol. Dissert. VI.* narrat; *Arabicorum Scriptorum vix quenquam annis octingentis; Islamismo verò & Alcorano, nullum neq; Theologum, neq; Philosophum, neq; Historicum antiquiorem esse: Poëticæ & Rhetoricæ studium anteà quidèm excoluisse; neq; vel Medicinæ vel sideralis scientiæ ignaros omninò fuisse: Cæteras disciplinas & artes non attigisse: primos post Muhammedem Duces bellum quoq; Musis quasi indixisse.*

Itaq; cùm Philoponus ille captâ Alexandriâ Amrum Saracenorum Ducem rogâsset, ut è Bibliothecis Regiis libros sibi Philosophicos concederet; re ad Omarum Imperatorem relatâ, responsum fuisse: Eos libros vel cum Alcorano consentire, & ideò opus iis non esse; vel dissentire, eâq; causâ abolendos: Quare per publica Balnea distributos incendendis fornacibus: primos demùm Almansorem, & deinde Almamonem studio promovisse, eorumq; operâ & impensis esse effectum, ut antiqui ferè omnes Chaldæorum, Ægyptiorum, imò & Græcorum Romanorumq; Scriptores in Arabicam Linguam traducti, ingentes nunc passim per Africam, totoq; Oriente inpleverint Bibliothecas, hæc ille: quæ omnia confirmat *Gregor. Abulfarajius,* Arabicus Historicus *Dynastiâ IX.* de Arabum moribus ante Muhammedem scribens: *Eruditio Arabum,* inquit, *cuius gloriæ præcipuè studiosi erant hæc erat: Linguæ suæ peritia, Sermonis proprietas, carminum textura, & orationum compositio. Noti etiàm erant illis stellarum ortus, & occasus; & quænam ex illis ita appositæ sint, ut oriente hac, illa occidat; quamq; in pluviis*

exci-

excitandis vim habeant: quantum quidèm diuturnâ experientiâ & observatione assequi potuerunt, quod istarum rerum notitiam vitæ ratio ipsis necessariam fecisset; non qua vera scientia acquiritur, methodo. Verùm quod ad Philosophiæ scientiam attinet, nihil eius admodùm concesserat illis Deus, nec eos ad hæc studia idoneos fecerat. Pocockius in Notis ad h. l. *ex Ebn Chalican*, præstantissimo Arabum Historico, refert; *primum Arabicæ Scripturæ repertorem fuisse Moramerum filium Moreæ Ambariensem, nõ multis ante Muhammedismi ortum annis: ita cùm jam evulgari cœpisset Alcoranus, non repertum fuisse in universa regione Yaman, qui Arabicè scribendi legendivè peritus esset:* ipsum Muhammedem utriusque ignarum fuisse, dicique ideò *Nabyian Ommian, Prophetam illiteratum*, & alia huc pertinentia. Quod verò Idem notat, *apud Hamyarenses Arabes antiquius fuisse scribendi inventum;* imò, quo tempore in Ægypto Præfectus Annonæ fuit Josephus, jam in usu fuisse, si vera sint Epitaphia ab Arabicis Scriptoribus ex antiquis monumentis edita: [quorum illud

prius

prius ſatis puto conſtare: hoc verò *poſterius Ebn Hashem* hac narratiunculâ probat: *Detexit aliquandò torrens ſepulchrum in Yamam, in quo jacebat fœmina, cuius in collo ſeptem erant è margaritis contexti torques, in manibus & pedibus ſingulis armillæ, ornamenta cruralia & brachialia ſeptem, in unoquoq; digito annulus, in quo magni pretii gemma, ad caput autem ciſta theſauro opulenta, & tabella cui hoc erat inſcriptum: In Nomine tuo, ô DEUS, DEUS Hamyar; Ego Tajah filia Diſchafer, miſi obſonatorem noſtrum ad Joſephum: quo tardante miſi ancillam meam cum modio argenti, ut afferret mihi modium farinæ: cumq; non inveniret, miſi eam cùm modio auri: & cùm nondum inveniret, cùm modio unionum: cumq; nec adhuc inveniret, eas comminui juſſi, à quibus cùm nihil utilitatis caperem, hic incluſa ſum. Qui autem audierit de me, miſereatur mei, & ſi qua mulier ornamentum aliquod ex ornamentis meis induerit, non aliâ morte moriatur, quàm quâ ego mortua ſum:*] hoc partìm fabuloſum eſſe, nemo puto negaverit; partìm, quod prius attinet, ita verum, ut de Arabibus Chriſtia-

nis

nis & Judæis solis intelligendum sit. Ita enim *Sharestanius* apud eundem Pocokium: *Duæ sectæ ante Muhamedis missionem oppositæ erant: Populus Libri, & Idiotæ, qui literas nesciebant:* Populus Libri, *Christiani & Judæi, Medinam incolebant, Idiotæ Meccham.* Ad hoc missus Muhammed. quartam sectam introduxit, *vide ibid.* alia huc pertinentia. Quæ ideò pluribus persequi volebam, ut quanta sit Arabicorum monumentorum, jactatæq; toties in hoc argumento traditionis, autoritas, in conspectum daretur.

SECTIO 7.

Pœmander & Adlocuta ad Asclepium libri Hermetici Pseudepigraphi, quandò editi?

SEd scripsit tamen Hermes, ajunt, *de Verâ Pietate*, nostris non dissona, quæ sæpè citant & laudant antiquissimi Ecclesiæ Doctores. Citant fateor, *quod majestatem summi & singularis DEI asserat:*

rat: *DEUM & Patrem uti nos appellet*, ἀνώνυμον, ἀπάτορα, ἀμήτορα, ut Lactantius l. 1. cap. 6. & 7. Quæ tamen omnia ex S. literis furatus est ille, quisquis est, ψευδώνυμος Hermes, vide Gen. 32. 29. Judic. 13. 18. Hebr. 7. 3. ut quâ ætate scripserit, vel hinc patescat. Extant hodiè duo libri, illi tributi vulgò, *Pœmander & Dialogus ad Asclepium*. POEMANDRUM à SemiChristiano quodam Platonico ex S. literis & Platonicis scriptis compilatum, ad oculum demonstravit *Casaubonus Exercit. 1. ad Apparat. Baronii Sect. 10.* Hyperaspistæ Baronii nihil habuerunt, quod reponerent: *Bulengerus* etiàm herbam porrexit, ut ajunt, fassus esse ψευδεπίγραφον, *vide Capellum l. 1. Vindic. 20. Casaub. cap. XI.* Argumenta breviter repetere, quasi in Zenonis collecta pugnum, legentibus hæc non erit ingratum. Libros Mercurii & Sibyllinos, ac similes suspicatur Casaubonus esse suppositios, 1. *à Mysteriorum fidei claritate;* quæ nulli Gentilium, tempore illo ignorantiæ, manifestius nota esse potuerint, vel & debuerint, quàm Populo DEI peculiari, & ipsis divinitùs inspi-

inſpiratis Prophetis. At Mercurius ille tàm diſertè agit de talibus, *v.gra.* de æternâ τοῦ λόγου Deitate, quem & ὁμοούσιον Patri vocat, vocabulo Eccleſiaſtico: [*de quo Arrius: Quid opus erat novum hoc ὁμοούσιον vocabulum antiquis dogmatum regulis inſeri?* nec negabant orthodoxi novum: ſed addebant neceſſarium Confeſſionis vocabulum eſſe, *Vigilius in Diſput. inter Sabell. Photin. Arrium & Athanas.*] ut nemo Prophetarum, aut etiàm Apoſtolorum æquè, ſi verba nuda ſpectes: quod ex hoc exemplo adducto patet, & mox patebit magis. 2. *à ſilentio omnium olim Philoſophorum*, ante Evangelium; apud quos doctrinæ huius Hermeticæ & Sibyllinæ nullum apparet veſtigium, quã in his ſpuriis ſcriptis miramur. 3. *à familiari fallendi arte* per eiusmodi libros; quorum tàm à Chriſtianis, quàm ab impiis, hæreticis, Magis & ſimilibus, confictorum tàm ferè innumera extant exempla, ut in Decreto Gelaſii P.R. & Synodi Romanæ, cap. Sancta Romana, Diſt. XV. His ita poſitis directè aggreditur Pœmandrum: ac 1. oſtendit jam olim

olim plurimos libros Mercurii nomine venditatos, quos ne quidèm, qui plurimum ijs tribuerent, non potuerint adulterinos agnoſcere. Sic Jamblichus fatetur; *Ægyptios ſcriptores, quod putârint omnia à Mercurio inventa, ſuos libros Mercurio inſcripſiſſe*, de Myſteriis. *Qui ſub Mercurii titulo*, ait, *circumferuntur libri, Hermeticas opiniones continent*: non ergò ſic dicuntur, qnod ab ipſomet ſcripti ſint: ſed quod doctrinam contineant, ab eo autore profectam. Hoc quandò verum ſit, deinceps explicabitur.] Ejusmodi fuerunt à Græcis confecti, *Salaminiaca, Hermaica, Diexodica, Hermetis Phyſica*, quorum meminêre Jamblichus, Cyrillus adv. Julian. Euſebius in Chron. Item *de Plantis Horoſcoporum* apud Galenum, ipſo cenſore nugas meras continens: & *de Chryſopæiâ*, in libro, cuius titulus: Ἱερὰ τέχνη, *Ars Sacra*, in quo tàm verè citatur Hermes, quàm *Mariam & Scripturæ Judaicæ*. 2. Pœmandrum verò hypobolimæum eſſe probat ex ipſo libro: Quia non Ægyptiacam illam antiquam Mercurii; ſed Semi Chriſtianam & SemiPlatonicam doctrinam con-

continet. Quia quem ille *Pœmandrum* appellat, qui ſit *Lux Filius DEI, DEUS noſter; ex Mente Patris procedens* λόγος φωτεινὸς, *verbum luce plenum;* λόγος *unitus Menti Creatrici, & ὁμοούσιος illi*, & id genus; nemo fidelium neſcit quis ſit, & undè talis agnoſci potuerint? de vocabulo ὁμοούσιος vide hic Caſaubonũ ipſum: Quia *creationem Mundi* ita deſcribit, ut ipſa LXX Interpp. verba retineat; Platonica *de Judæis, de DEO, qui ſit* ἀῤῥενόθηλυς *maſculo-fœmineus, de primis hominibus Androgynis, & poſt lapſum demùm in duo corpora diviſis*, & alia inferciat: Sic *de lapſu & conſequentibus* agit, ut Sacra θεόπνευστα miſceat humanis & Platonicis: cumque de viâ ad ſalutem primis parentibus patefactâ dixiſſet, ſubjicit, hoc eſſe μυστήριον τὸ κεκρυμμένον, *myſterium abſconditũ usq; in hanc diẽ*, quæ ipſiſſima Apoſtoli de Evangelio verba ſunt. *De cauſsâ interitus & ſalutis* ſic diſſerit: *Qui amat corpus ſuum ex amoris errore, manet in tenebris ſeductus: Qui ſeipſum cognovit, pervenit* εἰς τὸ περιούσιον ἀγαθόν. *Ego Mens adſum ſanctis, puris, miſericordibus, piè viventibus: præſentia*

mea opem fert talibus, ut statìm cuncta cognoscant, Patremq́; propitium habeant, &c. [Quæ iterùm sic ex ipso Domini nostri ore intercepta sunt, vide Johann. 12. 46. Luc. 14. 26 Joh. 14. 21. 1. Joh. 2. 20. ubi ipsæ phrases legi possunt; ut *de libero arbitrio & principio conversionis*, manifestè contineant erroneā illam Philosophiam, quæ Pelagio prælusit.] Piget omnia exscribere, quæ ad eundem modum Pœmander ille, verbotìm ex S. literis & Platonicis scriptis, adducit: licet jàm ex fimbriâ judicium ferre de veste. Denique 3. quàm non antiquus sit, nec ex Egyptio sermone traductus, docet Casaubonus *ex ratione styli*, qui & γνησίως Græcus, & Græcismo recentiori proprius: passìm Græcæ etymologiæ, Græcanici mores & ritus, historiæ etiàm Græcæ, ut *de Phidiâ statuario, Eunomo Locro Citharœdo*, & alia eius generis occurrunt. *Falsùm igitur est, imò falsissimum, ut concludam verbis Casauboni, quod iste Planus in Epistolâ ad Ammonem persuadere vult nobis; à Mercurio prius Ægyptiaco sermone ista fuisse conscripta; falsissimum etiàm est, quod docti indocti*

indocti videntur hactenus credidisse; aut scripta hæc fuisse à Mercurio Trismegisto, vetustissimo Ægypti Sapiente, aut ex illius scriptis esse versa! &c. Hactenus pleraque è Casaubono, quem Docti posteà unanimiter secuti sunt, etiàm Romanam fidem professi non pauci. *Johannes Filesacus Theologus Parisiensis, Selector. l. 1. cap. 1.* etsi ambigere videtur; scripseritne Hermes ille Trismegistus, antiquis scriptoribus memoratus, aliquid? tamen *Pæmandri autorem ementitium, fictitium, excogitatum*, ter & quater prædicat, &c. Licetet pergere, sed lubet adhuc subsistere & quædam annotare: *Quâ ætate videatur scriptus hic Pæmander*, de eo sic ait Casaubonus: *Quia Justinus in extremâ cohortatione ad Græcos Mercurii hujus meminit, & quædam ex hoc libro profert, sequitur ex eo; vixisse Patrem huius scripti, non multò post tempora Apostolorum.* Non assentior planè: potuit citare S. Martyr Hermeticum aliquod oraculum, etsi nullum ab eo autore profectum librum, viderit: expendam eius testimonium suo loco. Sic Pœmandri autor potuit aliqua insperge-

re Hermetis dogmata aut dicta, sivè *ex Ægyptiorum* ψευδομένοις libris, sivè ex *Platonicis*, qui subindè hunc laudare testem solebant, câdem fide quâ Zoroastrem, quâ Orpheum; sivè etiàm *ex ipsis Ecclesiasticis* Doctoribus: quos aliquos Hermeticos falsò dictos libros legisse certum est, Pœmandrum legisse nondùm probatum. Credam tamen eo tempore scriptum, quo Magorum, Plotini, Porphyrii, Jamblichi, studium fervebat, Platonicæ suæ Pseudophilosophiæ decus aliquod & dignitatem, ex antiquissimâ & jàm tùm passìm inter gentes celeberrimâ S. literarum autoritate, comparandi. Puto *Pœmandrum Hermetis* ipsum, forte ad *Hermæ Pastoris* exemplar confictum: cum quo titulo & nomine autoris convenit, & sunt alia quoq; quædam in utroq; consimilia: quanquàm *Barthio* non adstipulentur viri Docti, qui nuper edidit, & *Animadversionibus suis* affirmavit: *Eos Hermæ, Pauli Apostoli Discipulo, adscriptos libros, esse eosmet ipsos, quos eodem nomine in pretio olim habuit Latina & Græca antiquitas;* aliter consciscunt, qui de Scriptoribus

bus Ecclesiasticis censuras agunt, *Bellarminus, Robertus Cocus, Rivetus, &c.* Rectè admonuit Casaubonus, non pauca ab attento lectore deprehendi pose, quæ in Pœmandrum αὐτολεξεὶ ex aliis autoribus translata sint. Ego, cùm legerem ista ad Tatium: *utinam tibi daretur facultas, ô Fili, ut alarum adminiculo in sublimem aëris plagam volares, mediamq́ inter cælum & terram sortitus regionem, conspiceres terræ soliditatem, maris diffusionem, fluxum fluminum, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem! ô felicissimum, fili, spectaculum! ô beatissimam visionem!* non dubitabam conferre cum illo Maximi Tyrii epiphonemate, qui cum Philosophi θεάματα similiter exposuisset, exclamavit: *ô peregrinationem beatam! ô spectacula præclara! ô somnia verissima!* Judicet catus lector, imitatus ne videatur Maximus ille, qui sub Commodo Imp. *An. Dom. CLXXX.* & posteà, floruit, quo tempore nulli adhuc Pœmander citatus nominatusve fuit, hunc falsarium! an ille potiùs Maximum? *vide Dissertat. eius VI.*

Sed *ad Asclepium Adlocuta* nos vocat. Qui eam Trismegisto Mosi antiquiori adscribunt, aut non ad calculos vocârunt rationes libri aut sensu communi privati fuerunt. *Primò* Magicus, ut dixi, apertè est, & animata idola fabricare docet. *Idololatriam probat*, ut ait Marsilius Ficinus, *mirisq; laudibus offert, casum eius deplorat, &c.* in Comm. cap. 9. *Deindè* à Græculo confictum, ipse satis superq; prodit: ita vocabulum ἄδης exponit quod *visu privetur*: de DEO *Pantomorpho*, & alia, quæ à nullo nisi Græco scribi potuerunt, multa affert. Jam *tertiò*; multa verbotìm ex S. literis, & quidèm Novi Instrumenti manifesto furto subduxit: Qualia sunt ista; *DEUS æternus hoc est, hoc fuit, hoc erit semper*, Apoc. 4. 8. *Omnia ab eo, & in ipso & per ipsum*, Rom. 11. 35. *Spiritu implet omnia, ut cuiusq; naturæ qualitas est*, Sap. 7. 22. 24. *Homo retardatus gravi & nimio corporis vitio, veras rerum Naturæ caussas pervidere non potest*, Sap. 9. 15. 16. &c. Ex profanis quoq; Scriptoribus, & quidèm Evangelio promulgato, ætate supparibus, aut & recentioribus,

non

non pauca imitatus eſt. Ita quod dixit: *Non immeritò Muſarum chorus in hominum cœtum eſt à ſummâ divinitate demiſſus, &c. ſcilicet ut muſicatis hominum cantilenis concelebraretur laudibus, qui ſolus omnia & Pater eſt omnium*; hoc ex *Philone* deſumptum apparet, *qui lib. 2. de Agricult.* hanc recitat fabellam: DEUM, perfecto hoc univerſo, Prophetam quendam eſſe percontatum; quid in mirando opere putaret deeſſe? Reſpondiſſe hunc: Nihil præter dignum laudatorem. Ergò mox eſſe productum Chorum Muſarum matre virgine Mnemoſynâ, &c. Ita quod de Æſculapij, de avi ſui Hermetis, de Oſiridis & Iſidis miraculis narrat, quamq; opem illi præſtent invocantibus: totum *ex Diodori Siculi lib. 1. cap. 25.* acceptum eſt. Id cum primis memorabile, clarumq; argumentum eſt, quo tempore conſcriptus ſit hic liber, quod quaſi de futuris vaticinans ait Mercurius: *Futurum eſſe tempus, quo omnis Ægypti religio in irritum caſura ſit: è terris*, inquit, *ad cœlum recurſura eſt divinitas: Ægyptus, quæ fuit Divi-*

nitatis sedes religione viduata, Numinum præsentiâ destituetur: Tunc terra ista sanctissima sedes Delubrorum & Templorum, sepulchrorum erit mortuorumq; plenissima. Religiosus pro insano, irreligiosus putabitur prudens, furiosus fortis, pro bono habebitur pessimus. Anima enim, & omnia circa eam, quibus aut immortalis nata est, aut immortalitatem se consecuturam esse præsumit, secundùm quod vobis exposui, non solùm risus, sed etiàm putabitur vanitas. Et mihi credite, etiàm capitale periculum constituetur in eum, qui se Mentis religioni dederit. Nova constituentur jura, Lex nova; nihil sanctum, nihil religiosum, nec cœlo aut cœlestibus dignum audietur, aut mente credetur. Hæc & cætera, quæ in hoc scripto legerit, illum rogo, conferat querimoniam *Eunapij Sardiani*, quam *in Ædesio* suo deploravit: *Christianos Serapidis ædem demolitos, donariis templi manus injecisse; Monachos in sacra loca induxisse, homines quidèm adspectu, sed vitâ porcos; qui Deorum vice mancipia flagitiosa divinis honoribus affecerint, quos appellârint Martyres, &c.* hoc ipsum *Antoninum Philosophum*, Sosipatræ

patræ sagæ filium!, non multò ante prævidisse; prædixisse quippè; *à suâ morte Fana per Ægyptum, & inprimis Serapidis, illa tàm magnifica, informi situ obrutum, funditusq́; vastatum iri:* verbo: τὰ ἱερὰ τάφους γενήσεσθαι, *Templa iri conversum in Sepulchra!* Hic ergò Eunapius *Antonino* suo, quasi divinitùs afflato, tribuit id vaticinium; quod huius Adlocutæ Scriptor *Hermeti*: ut necessariò consequatur, ignoratam Eunapio istam Adlocutam fuisse: Cumq́; autor Dialogi huius eo ipso vixisse se tempore, quasi suo sorex indicio, prodat, quo hæc in Ægypto evenerunt; quis enìm tàm bardus est, qui non intelligat, verba illa Hermeti afficta, non esse de futuro prophetantis, sed præsentem statum paganismi, pessum euntis jàm, deplorantis? manifestum est, eo ipso tempore hæc scripsisse, quo Christianorum Impp. leges contra Paganos constitutæ, pœnæque decretæ sunt: *Cesset superstitio! sacrificiorum aboleatur insania!* &c. edictum est *Constantini F.* de quo Euseb. Theodoret. Sozomen. & alij apud Gothofredum *in Comment. ad Tit.*

de Paganis. Sub Theodosio autèm Alexandriæ eversam esse Serapidis ædem, refert ipse Eunapius.

Superest, ut *Patrum testimonia* & citationes expendamus. Enimverò neminem equidèm recordor, qui *Pœmandrum* unquàm nominaverit: nec ante Augustinum quisquam citâsse videtur *Dialogum ad Asclepium*. *Tertullianus* Hermetem quidem nominat, sed nihil ex ejus scriptis adducit; *Physicorum Magistrum* vocat, & *Hæreticorum Patriarchis* annumerat, *cap.2. de Anima, & adv.Valentin. cap.15.* *Clemens Alex*. librorum eius, apud Ægyptios in veneratione habitorum, meminit, ipsumq; recenset inter vates paganorum; *Hermetem scil. Thabanum, & Æsculapium Memphiticum*, 1. Stromat. *S. Justinus Martyr in Paranet.* celebre Hermetis dictum allegat, sed nullius libri meminit, potuitque ex ipso Platone accepisse illud: *DEUM* nempè *comprehendere quidèm difficile esse; sed eloqui impossibile*. Ergò, inquit S. Martyr, *fieri non potest, ut DEUS aut vera religio aliundè cognoscatur, nisi ex Hebræorum Prophetis.*

Gre-

Gregorius *Nazianz. 2. de Theologiâ* idem citat & refutat: ubì *Elias Cretensis* in Comment. hoc merum ait esse sophisma, & inscitiæ Hermeticæ mantelum. Laudat *Lactantius*, sed orator melior, quàm Theologus; citatq; librum *de Justitiâ*, & *Sermonem perfectum, lib. 6. Instit. cap. 25.* è quo quædam adducit, quæ sub finem Adlocuta reperiuntur, paullò tamen aliter. Hanc ipsam *ex Apulej* versione adducit *Augustinus de Civ. DEI, ut l. 8. cap. 23.* Sed à *Diabolo profectam* testatur. Multa affert *Cyrillus contra Julian*, citatq; *Sermonem ad Asclepium*, & *Mercurii ad suam propriam mentem, &c.* Nimirùm, quoniàm Hermetica S. Scripturæ ausi erant pagani Philosophi opponere, nostri vicissìm cœperunt paganismum ex iis confutare, & hostes Christianæ pietatis proprio quasi telo conficere: ætatem verò, quâ vel vixerit ille, vel scripserit? vel non expenderunt, quod nihil videretur esse necesse; vel studio etiam, bonàque fraude, ut putabant, occultârunt. Ubi tamen opus erat, quanti facerent, non dissimulârunt: *fallacissimum Hermetem, Ma-*

gumq;

gumq́; potiùs quàm magnum judicandum esse, cum Philastrio, censuerunt. *Cessate,* clamabant cum Gregorio Nazianz. ad Nemesium, *cessate, ô vates! & vos insani Dæmones nefarios cantus miseris inspirantes! Orpheus brutas ducat feras! Hesidiodus Ascræus canat soli suo Persi! Homerus Trojam & dolores: Musæus & Linus antiquissimi carmina sua, quibus Deorum laudes comprehendunt, secum offerant. Trismegistus ille Mercurius, quamvis invitus & repugnans, orationi meæ adstipuletur; crucemq́; Sybylla veneretur carminibus suis!*

SECT. 8.

Quis TRISMEGISTUS *Ægyptiorum ex vero? cur, & à quo primùm fictus dictusve? Ægyptiaca Theologia.*

DUo huc usque explicata & demonstrata veritatem circa contentioris studium quærentibus, reor *alterum*; fabulosum esse Ægyptiorum Mercurium, neq;

neq; magis unquam extitiſſe verè in rerum cenſu, quàm avum eius DEUM, eiusque progenitores DEOS cœleſtes: neque habuerunt Sapientes Gentium, ut ex Diodoro, Plutarcho, Syneſio audivimus, & ex Platone mox audiemus: Fuit autèm ea Sacerdotum Ægyptiorum perantiqua conſuetudo, ut *myſteria ſua clàm haberet, ſolisq; ſibi eorum penitam cognitionem reſervantes, vulgo ſola externa Symbola & fabulas relinquerent; quod etiàm Perſis, Syris, & Indis receptum fuit*, ut Origenes ait contra Celſum lib. I. & jam anteà monuimus: *Alterum eſt*; nullum unquàm fuiſſe librum Mercurii nomine inſcriptum, qui vel verè â Mercurio conſcriptus, vel tàm fuerit antiquus, uti contendunt, qui Moſaicam antiquitatem oppugnant. His poſitis cauſſa, quam defendendam ſuſcepi, ſatis pertractata eſt. Ne quid tamen ſcrupuli hæreat, oſtendam paucis: Eum, qui primus *Mercurium Triſmegiſtum* appellavit, qui progenitor fuerit Mercurii Junioris, omnium artium ſcientiarumque ſator & altor; *Divinam Mentem increatam* intelligere voluiſ-

ſe,

se, τὸν λόγον verè τρισμέγιστον, *humanæ Mentis creatæ* eruditorem neque latuisse Sacerdotes Ægyptios hoc arcanum, sed pro more & studio, ne vulgò innotesceret, celatum fuisse fabulis, & *portentificis*, ut ait Lactantius *figuris*.

Fuit ille, qui primus Sapientiæ inventa ad Mercurium aliquem Cœlestum autorem retulit, *primus Ægyptiorum legislator, Mneves nomine. Hic populum induxit, ut juxta leges scriptas vitam instituerent, legesq́; eas A MERCURIO sibi traditas confinxit. Quomodò Minos apud Cretenses, Lycurgus apud Lacedæmonios, ille à Jove, hic ab Apolline, suas se accepisse gloriati fuerunt. Ita apud Arianos Zathraustes* [idem fortè, qui Zarades, aut Zoroaster suprà] *Bonum Genium; apud Getas Zamolxis communem Vestam; apud Judæos Deum, qui JAO dicitur Moses, legum suarum autorem fecerunt. Vixit ille Mneves post Heroum imperium, ætatemq́; in fabulis assignatam: Secutus est eum legislator alter* Sasyches, *qui ea quæ ad religionem & Deorum cerimonias pertinent, ordinavit: Geometriam & Astrologiam invenit, suosq́;*

popu-

populares edocuit: Tertius fuit Sesostris, *qui leges tulit de Re Militari: Quartus* Bocchoris, *qui de Regibus & contractibus: Ultimus* Amasis, *&c.* Hæc Diodorus pluribus *lib.* 1. *cap.* 94. Cedro digna! Nàm etsi Ægyptii illi, qui ista Diodoro exposuerunt, ne sic quidèm puram liquidamq; veritatem sine fæce fabularum propinârint; fecerunt tamen, ut à fabulis non adeò magno negotio secerni possit. Atque hoc quidèm, quod in quæstione est, apertè dixerunt: *Mercurium DEUM* legum autorem *confictum*, eiq; *omnia illa* legum monumenta, quæ in pompis Ægyptii magno cum honore solebant circumferre. *Hermetica* dicta, ut ex Clemente Alex. adduxi, *attributa* fuisse, quæ tamen alios certosq; suos autores habuerint: Autorem figmenti fuisse *Mneven*, ante quem nihil de legibus, nihil de cultu Deorum, nihil de artibus Ægyptiorum olìm propriis, Geometriâ & Astrologiâ, nihil de officio Regum, de Militari re, de contractibus & similibus scriptum fuerit. *Quis ille Mneves fuerit, quâve ætate vixerit?* incertum & in obscuro est. Neque

edisseruit

ediſſeruit Diodorus, quas ille, aut quibus de rebus, leges tradiderit Ægyptiis; niſi quod *ſcriptas* fuiſſe dixit: in quo eum Sacerdotes iſti Scriptoresve Ægyptii fallere potuerunt, falſive fuerunt ipſi, eò quod nullæ tales in hominum memoriâ verſarentur. Quod *Moſe poſterior* fuerit iſte Mneves Legislator, duplici ratione probari poteſt: *Primò;* quia manifeſtè Moſen æmulatus, leges ſuas ad DEUM aliquem autorem retulit, ne minus autoritatis apud ſuos haberet, quàm iſte apud Judæos: in quo & alii Legum latores Moſen imitati ſunt, quod Diodorus hîc, & Plutarchus in Numâ, obſervârunt: *Deindè;* quia Patrum communis & conſtans aſſertio eſt, primum ſcriptarum legum editorem fuiſſe Moſen, à quo cæteri omnes ſuas acceperint: quod argumentum pluribus tractant Juſtinus M. Clemens Alex. Tertullianus, ut recentiores taceam. Crediderim tamen, non multò poſt Moſen fuiſſe: Quod Moſaica in Deſerto geſta & divinitùs accepta Oracula Ægyptios non potuerint diu latere, quorum ſemper hoc ex odio Judaicæ
Gentis

Gentis ſtudium fuit, ut huius gloriam ſibi vindicarent: Fuitque ratio politica; Ne quid res Ægyptiorum publica, mutatâ religione & expulſis impiis Sacris, caperet detrimenti. Judicet catus lector. Poſſet tamen aliquis in eàm venire opinionem, *Joſephum Patriarcham fuiſſe*, quem poſteà Mnevin dixerint Ægyptii, mutato nomine, ne beneficium tàm ingens ex Hebræis agnoſcere cogerentur, aut quicquam exoſæ genti profiterentur ſe debere, unum retinet, quod nullas ille ſcriptas leges tulerit, de quo tamen jam dixi. *Sanè* primum Ægyptiorum legislatorem fuiſſe, ex Geneſi, inprimis cap. 47. ℣. 26. & Pſalmo 105. ℣. 22. indubium eſt. *Deindè* nemo negabit, prædicaſſe eum Ægyptiis Deum non λόγιον, ſed λόγον, verè τρισμέγιστον poſteà dictum, omnis ſapientiæ fontem. *Adhæc* Mnevis apud Suidam *Deus Ægyptiorum eſt*: quos Joſephum, recepto more, ob tot & tanta beneficia conſecrâſſe, vix dubium eſt. Certè docti viri, poſt *Julium Firmicum de Err. profan. Relig.*, Serapidem fuiſſe Joſephum, argumentis adſtruunt, *vide Voſſium l. 1. de*

 Idololatr.

Idololatr. cap. 29. & nuper Nicolaum Abrahamum in Pharo Vet. Testam. lib. 8. num. 23. Prætereà *Mnevis* nomine colebatur ab Ægyptiis Heliopoli *Bos*, *sacer Osiridi*, habitus *Apis* alterius apud Memphin *pater*, de quo *Plutarch. de Iside, & multa Vossius l. c. cap. 27. & 29.* At Bos iste symbolum fuit Josephi etiam apud Mosen, Deut. 33. 17. videnturq; Ephraimitæ hujus posteri *caput Bovis cornibus armatum* pro insignibus habuisse; de quo ex Amosi cap. 6. ℣. 13 dixi *in S. Analect. Volum. 1. pag. 49. Deniq;* ex somnio Regis manifesta ratio elucet, cur Josephum in effigie Bovis consecraverint, Gen. 41. 26. nec vero est absimile, post consecrationem mystico nomine *Seraphin* dictum, cujus anitquissimum de DEO λόγῳ celebratur oraculum. Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς &c.

Principio DEUS, hinc VERbum, tum Spiritus unâ:
Hæc tria sunt nexa inter se, & tendentia in unum.

Quid? quod & eundem Josephum Græco nomine Ἑρμῆν, *DEI summi Interpretem*, &

& *Camillum* Hetrusco vocabulo, id est, *ministrum* dictum, docti non sine ratiōne opinentur. *Tempus* sanè, quod Mnevis ætati assignat Diodorus, pulchrè convenit. Nam *Amasis* in tempora Cyri incurrit, sex mensibus ante Cambysis in Ægyptum expeditionem morte defunctus; *Sesostris* Josepho teste *Sesak* est, qui templum Hierosolymitanum spoliasse legitur, 3. Reg. 14. ℣. 22. qui de Re militari leges meritò tulisse creditur, ut victoriis decantatis celeberrimus. Etsi *Sesaki* nomen cum *Sasyche*, aut Manethonis *Sesonchi*, meliùs conveniat. Ab hoc proximus est *Mnevis*, ut oporteat vel in Josephi, vel in posteriora tempora incidere. Ut adeò Diodori narratio de legibus Regibusq; Ægypti cum sacrâ historiâ satis conspiret, quicquid sit de Manethonis Dynastiis, quas etiàm *Theophilus Antiochenus ad Autolycum l.3.* multorum errorum accusat, & refutat. Nos reperimus eum, qui Mercurium, sive *Thaautum*, primus appellârit, & legum autorem finxerit: Hunc secuti alii, omnia sua inventa & commenta eidem adscri-

pſerunt. Teſtatur hoc idem *Jamblichus ſect. praeced.* citatus; hunc Ægyptiis Sacerdotibus morem fuiſſe; quem Græci illi, qui quædam huius generis Hermaica *ex Ægyptiacâ linguâ in Græcam*, ut ait Jamblichus, *tranſtulerunt*, imitati ſunt; ſed ſerò, ut docuimus, Ab his demùm *Triſmegiſti nomen* cœpit, qnod Mercurio nemo, arbitror, dedit Evangelii promulgatione antiquior; ac *de etymo* non minùs, quàm *de ſubjecto* nominis diſcepatio eſt. Nam quod Marſilius Ficinus adfert: *Triſmegiſtum dictum Pæmandri autorem; quoniàm maximus & Philoſophus, & Sacerdos & Rex extitiſſet: morem enim fuiſſe Ægyptiis, teſte Platone, ut ex Philoſophorum numero Sacerdotes, & ex Sacerdotum cœtu Regem eligerent, gerræ germanæ* ſunt. Suidas, & Cedrenus, ideò *Triſmegiſtum dictum, quod in unâ Deitate Trinitatem aſſeruiſſet*, ajunt: Sed hoc frigidum & nuperum commentum eſt. Propius verò, quod habet Lactantius; *cognomen hoc ei impoſuiſſe multiplicem ſcientiam* l. 1. cap. 6. At ſi ipſi illi Mercurio habenda fides eſt; cognomen hoc non homini, ſed DEO com-

competit, illi quem vocat *Mercurium majorem*, *avum* suum, *si credere fas est*! Hunc enim ait, Τρισμέγιστον dictum, *quod consilii pater*, *omniumque* κατηγητὴς *sit*, in Ad-loc. ad Asclep. sivè, ut Marsilius Ficinus, *quod proprium eius nomen pronunciare nefas haberetur*, *ob singularem reverentiam*. Sic docet Jamblichus: *DEO*, *sive Divinæ Menti*, *varias denominationes tributas ab Ægyptiis*, *propter potentias actionesque differentes*. *Nam intellectum*, inquit, *illum opificem*, *qui est veritatis Dominus & Sapientia*, *quatenùs in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem*, Amun *Ægyptiacâ linguâ vocârunt*. Quâ voce Manethos Sebennita, apud Plutarchum, occultationem ait significari, rogatumque eum pnblicis precibus, ut se conspiciendum præbeat. *Eundem vero*, pergit Jamblichus, *quatenus sine mendacio peragit omnia*, *artificiosè cum veritate* PHTHA *nuncupatum* [fortè à פתח Patach, quasi dicas *Patulcium*, quomodo Janum Latini] *Denique quoniam omnium bonorum esset effector*, *Osiridis nomen accepisse*, ita ille de Mysteriis. Pro-

prium verò quia ignorabatur, nec fas videtur mortali ore eloqui, ideò *Termaximum*, & *Opt. Max.* dixêre, vide Proverb. 30. 4. Esai. 45. v. 15. & *Pæmandrum*, Pastorem hominum, 1. Pet. 2. v. ult. *Ego*, inquit, *sum Pæmander, Mens divinæ potentiæ. Tu me Mente tuâ complectere, & ego te in cunctis, quæ optaveris, erudiam.* Sic ille apud Autorem Pœmandri. Habes ergò hîc duplicem ut Mentem, ita & Mercurium: λόγον θεῖον τεισμέγιστον, nomine ineffabili, DEUM, eius ad homines interpretem, & omnis Sapientiæ inexhaustam abyssum: λόγον ἀνθρώπινον, qui illius cœlestis imago, mentis nostræ oculus est, omnium artium, eruditus ab illo, inventor. Nec dubitem, stricturas huius lucis è vicinâ Judæâ in Ægyptum fulsisse: sed ab impiis Sacerdotibus, ne vulgi ferirent oculos, obnubilatas, & his commentis involutas fuisse. Ita enìm alia in Ægypto fuit *Theologia* quasi *Exoterica*, Popularis, Mythica & Symbolica; alia *Acroamatica*, Sacerdotalis, Mystica & initiatorum propria Epoptica: utraque veritatem, quæ in totum latere non potuit,

potuit, captivam tenens injuſtitiâ, plena Magicæ & Aſtrolatricæ ſuperſtitionis. Ac initio quidèm, cùm ab avitâ pietate & fide Nohæ deflexiſſent, ita de Deo rebusq; divinis ſtatuiſſe videntur: Omnia Dijs plena eſſe: *aſtra ſpiritu intelligentiæ prædita*, ut Mor Jſaac Maronita apud Kircherum refert, *eſſe Mundi rerumq; omnium creatores & opifices: quare ſingulis divina nomina impoſuerunt, certosq; honores, ſacrasq; cerimonias conſtituerunt: variis dedicatis idolis, quibus parilem venerationem exhibebant; per quæ reſponſa dans Cacodæmon, futura & abſcondita revelabat, &c.* Atque adeò ſtatuebant, *ne minimis quidèm rebus abeſſe ſuos præſides Genios. Quare etiàm corpus humanum in XXXVI. partes diſtribuerunt, ſuumq; unicuiq; præfecerunt ſivè Dæmonē, ſivè Deum Ætherium. Nomina ijs finxêre Ægyptiaca, dixeruntq; Chnumen, Chnachumen, Cnat, Sicat, Biu, Fru, Frebiu, Ramanor, Rejanoor, &c. qui invocati ſuas quisq; partes ſanerent, ut* tradit Celſus apud Origen. lib. 8. Quo factum, *ut Ægyptiis vicatìm aliis humerus dexter pro Deo eſſet, aliis è regione habitan-*

tibus ſiniſter, aqua communiter omnibus; Memphitis privatìm bos, Peluſiotis cæpe: aliis Ciconia vel Ibis, aut Crocodilus; aliis Cynocephalus, aut Feles, aut Simia, ut refert Lucianus in Jove Tragœdo. De ortu rerum apud Philonem Biblicum, aut Sanchoniathonem, ita diſſerit *Hermes*, ſive *Taautus, in libro de Origine Mundi*: Principium activum fuiſſe *aëris tenebroſi Spiritum*; paſſivum, *Chaos turbidum & lucis expers*: utrumque infinitum, & longo retrò ævo interminum, cùm Cupido conjunxiſſet, genuiſſe *Moth*, id eſt, *limum*, in quo fuerint rerum omnium ſemina: hinc prodiiſſe & Solem cum aſtris, & omnia animantium ſecula. Nàm coortis tonitribus & fulguribus, terribibili ſonitu è limo, velut è profundo ſomno excitata, proſiliiſſe, erupiſſeq; quâ terrâ qua mari, ſexus utriusque, maſcula & fœminina: inprimis *Topha Sunim* dicta, intellectu prædita, quod eſt, *Spectatores Cœli*, eaque *in figuram ovi conformata*. Quæ ut partim ex Moſaicâ hiſtoriâ, ſtudio depravatâ: partim ex Ægyptiorum fabulis, de primo hominum ſtatu, petita

petita sunt; sic toto cœlo distant ab illis quæ philosophatur *Pœmander*, ut collatio ostendit. Nàm prima animalia velut fungos è terrâ prorupisse fingebant Ægyptii, tenuibus involuta pelliculis, formâ ovali, donec matura jàm & adulta, iis perfractis suum quæque elementum appetiverint, ut *est apud Diodorum Sicul l.1. cap.7.* Nec multò aliter Epicurus; cuius opinione ex calore & humore, ut canit Lucretius,

crescebant uteri terræ radicibus apti.

qui infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem præbebant, *de quo Censorinus de Die Natali cap.4.* Cœterùm à Mundi conditu innumera effluxisse secula, quod dixi, opinati erant, & ut Theophilus Antiochenus citat, *scripsit Apollonius Ægyptius, transiisse annorum myriades XV. annosq; prætereà II L.CIↃ.LXXV.* Hæc videtur antiquissima illa Ægyptiorum, ex quo patrias de vero DEO traditiones respuerunt, matæologia fuisse. Huic posteà, ex Israëlitarum vicinitate & commerciis sanæ doctrinæ nonnihil;

ex Græcorum verò superstitione fabularum plurimum accessit. Atque ab his videtur totam de *Osiride*, *Iside*, *Horo*, *Typhone*, *&* *Hermete* accepisse tragædiam, quorum & ipsa nomina Græca esse notavit *Plutarchus:* Quin, si huic fides habenda est, etiàm Zoroastræam *de duobus Dijs, Bono & Malo*, opinionem sectati sunt Ægyptii, eamque *Osiridis & Typhonis* fabula celârunt. Quanquàm is eam, de duobus contrariis rerum omnium principiis, sententiam dicat esse *vetustissimam, communem Græcis & Barbaris, autore incognito, fide firmâ & indelebili, probatam plerisque & iisdem sapientissimis.* Hæc ante Prophetarum noticiam ratio fuit insanientis Ægyptiorum sapientiæ. A qua quantum recedere apparet Hermetem, illum *Pœmandri & Dialogi ad Asclepium*; tantũ consequitur, Prophetis, & Evangelio ipso posteriorem esse. Hoc enim Diaboli artificium fuit, ut mendaciis suis colorem aliquem induceret, eaque fucaret quasi & exorneret veritatis divinæ pigmentis. Sic *Osthanes*, ut habet Minutius Felix, *Magorum & eloquio & negotio primus*

mus, qui verum Deum meritâ majeſtate proſequutus, Angelos eius miniſtros venerationi adſiſtere novit, ut & nutu ipſo & vultu Domini territi contremiſcant: Idem Dæmonas prodidit vagos, terrenos, humanitatis inimicos, &c, vide *Tatianum adv. Gentes, & Cyprian. de Idololatr.* Quæ ex Eſai. 6.3. Dan. 7. 10. & aliis S. Scripturæ locis ſumpta nemo non intelligit. Sic *Hyſtaſpes* paullò iſto antiquior, de quo Clemens Alex. ex apocryphis refert *S.* Paulum dicere ſolitum: *Hyſtaſpen ſumite & legite, & invenietis DEI filium multò clariùs ſcriptum: & quemadmodùm adversùs Chriſtum multi Reges inſtruent aciem, qui eum odêre, eosq́, qui nomen eius geſtant, fideles eius: quin & tolerantiam eius & adventum.* 6. Stromatum: quæ ex ſecundo Pſalmo accepta, manifeſtum eſt. Deniq; ſic de Hæreticis dixit Irenæus: *Similia loquentes fidelibus, non ſolùm diſſimilia ſapiunt, ſed etiàm contraria, & per omnia plena blaſphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per ſimilitudinem verborum, diſſimile aſſertionis eorum in ſe attrahunt venenum. Sicut quis aqua mixtum gypſum dans pro lacte, seducat*

per

per similitudinem coloris: ut quidam dixit superior nobis de omnibus, qui quolibet modo depravant, quæ sunt DEI, & adulterant veritatem DEI: Lacte gypsum malè miscetur, lib 3. cap. 19.

SECTIO 9.

An Moses ex Hermetis libris profecerit? & an Plato?

BReviter expediam. *De Mose* testatur Martyrum primicerius; *calluisse omnem Ægyptiorum sapientiam*, Actor. 7. ℣. 22. Quæritur; *Quamnam?* Si *Philonis* judicio stemus, ut plerique Interpp. res plana est. Ait enim *didicisse ab Ægyptiis, Arithmeticam, Geometriam, Rhytmicam, Metricam, Harmonicamq́ Theoriã, & omnẽ Musicam: tùm & Symbolicam Philosophiam, quam sacris libris describunt: à Græcis vero cæteras liberales; ab Assyriis literas; à Chaldæis quoque Astronomiam accepisse: in omnibus autem solam quæsivisse & admisisse veritatem*, hæc ille lib. 1. de vitâ Mosis: Quàm verè, non libet minutìm examinate.

te. *Primò* visus sibi suit Plato iste Judæorum, ad eximiam Mosis gloriam pertinere, si fingeret; habuisse ex omnibus Gentibus Magistros exquisitissimos: at quantò nostri Doctores, qui antiquitatem Mosis adstruunt, ut Justinus M., Theophilus Antiochenus, Clemens Alex., Tertullianus & alii, prudentiùs; omnes omnium Gentium Magistros Mosis fuisse Discipulos? *Deindè* Diodorus Siculus, ut consentit, *Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam ab Ægyptiis doctas & excultas; quod earū usus esset maximus, & summè necessarius, propter annuas Nili eluviones, agrorumq; oblimationes: ita Musicam affirmat in totum respuisse, ut noxiam, & quæ homines effæminaret.* Jam *Clemens Alex.*, cùm hunc ipsum Philonis locum recitâsset, virgulam addidit censoriam; *Eupolemus verò*, inquit, *de Judæorum Regibus scribit: Mosen PRIMUM SAPIENTEM fuisse, qui princeps Grammaticam & literas Judæis tradiderit, à quibus Phœnices, & à Phœnicibus post Græci acceperint*, lib. I. Stromat. *Porrò S. Justinus*, sivè quisquis est, in Responſ. ad Orthodox. Quæst. 25. *negat*

omninò

omninò Mosen Mathematicas disciplinas didicisse, quod vulgares essent & viles in Ægypto: solam accepisse Hieroglyphicen, quam tamen, ut DEO contrariam, spreverit, nulloq; in usu habuerit. Ita nullam ab Ægyptiis sapientiam didicisset, sed stultitiam dediscendam. *Præterea cùm Celsus Ægyptiorum sapientiam craparet, respondit* ἀντιμυκτηρίζων *Origines*: Eius esse vertigium, *quod adorarent animalia, extareq; in commentariis eorum, quibus rationem mystici huius cultus retrusiorem explicarent*, lib. I. Et hanc Symbolicam, vel ut scapham scapham dicam, Magicam, damnatam ab Ecclesiâ DEI, exsibilatam ab omnibus Sapientibus, didicisset vir DEI Moses? aut hoc in laude eius poni vel potuit, vel debuit? Idem *Origenes*, quæ Ægyptiorum potissima fuerint studia? in Comment. ad cap. 3. Roman. his exponit: *apud Ægyptios*, inquit, *à quibus omnes propè Gentes ritus Sacrorum & cerimonias suas mutuatæ sunt, nullus aut Geometriæ, aut, quæ apud illos præcipua dicitur, Astronomiæ studebat: nullus certè Astrologiæ & Genesios, qua nihil putant esse divinius, secreta*

creta rimatur, nisi susceptâ circumcisione. Sacerdos apud eos, aut aruspex, aut quorum libet Sacrorum Minister, vel ut illi appellant, Propheta, omnis circumcisus est. Literas quoq; Sacerdotales veterum Ægyptiorum, quas Hieroglyphicas vocant, nemo discebat, nisi circumcisus. Hanc cùm circumcisionem Celsus ogganniret, Mosen & Hebræos ab Ægyptiis accepisse: reclamavit Origenes: *certiùs nos scire, ab Abrahamo ortam fuisse.* Hæc studia tractârit Moses? Aut quoniàm eâ ætate infames artes in Ægypto floruisse ipse commemrat, notique sunt magistri earum *Jannes & Jambres;* putandum est, sic dixisse S. Stephanum, omnem eum didicisse Ægyptiorum sapientiam, quomodò Pancrates ille Lucianicus dicitur, πᾶσαν παιδείαν εἰδὼς τὴν Αἰγύπτιον, *omnem pernovisse Ægyptiam disciplinam*: qui *totos viginti tres annos delituerit in adytis subterraneis, ut Magiam disceret ab Iside?* Lucianus in Philopseude. Quid ergò? *Literaturam* saltèm ab Ægyptiis accepit Moses? Quamnam? nàm *alia fuit communis* ἐπιστολογραφική, *alia propria Scribarum Sacro-*

rum

rum ἱερατική: *alia nobilissima, illa* ἱερογλυφική: eaq; duplex κυριολογικὴ vel συμβολικὴ, ut pluribus docet *Clemens Alex, l. 5. Strom.* Et hæc erit illa omnis sapientia? aut in laude Mosis poni debet, si scivit literas Ægyptias vel vulgares; vel illas supersti- tiosas, Diaboli inventum? Denique cum tota Mosaica Philosophia, quæ in libris eius continetur, quadruplex sit; ἱστορικὴ, νομοθετικὴ, ἱερουργικὴ, θεολογικὴ, *Historica, Legislatoria, Sacrificatoria, Theologica*, ut idem *Clemens* exponit, *1. Stromat.* scire velim, quid in ullo ei genere contulisse videantur Ægyptii? Quamobrē, ut quæstionem absolvam, assentior *Ezechielo, Poëtæ Tragico*, qui dixit, Mosen dedicisse βασιλικὰ παιδεύματα, *artes eo dignas, qui in spem regni educabatur*, ut esset potens ἐν λόγοις καὶ ἔργοις ut habet S. Stephani suffragium; nempè *optimus Consultor, optimus Bellator*, qualem in aulâ Pharaonis Mosen fuisse describit Josephus. Neque nego disciplinas, quas encyclicas, eò pertinuisse: ex libris Hermeticis didicisse nego, quod neque affirmat Sanctus Martyr, & extitisse tales ante Mosen, frustra supponitur. Sed

Sed *Plato* tamen ajunt, Mercurii meminit: meminit, fateor; neque inficias iverim, extitisse tùm aliquos eius nomine insignitos libros, ut non omnia mentitus fuerit Manethos, qui Platone tamen LX. annis minimùm recentior est. At quod ex ullis profecerit, quod profiteri ingenui candoris fuisset, testatum nuspiàm recordor. Sunt tamen argumenta, legisse. Quoniàm de DEO eadem differit, & de creatione ferè quæ Pœmander: quâ causâ fortè dixerit Tertullianus, *Mercurio Ægyptio præcipuò assuevisse*. Quin & ipsum *Pœmandri nomen* videtur insinuare, cùm dixit: *Aureâ Saturni ætate Deum hominum custodem PASTOREMq́ fuisse: quemadmodùm nunc homines, divinioris naturæ, pastores sint brutorum*, in Politico de Regno. Sed funiculus hic ex arenâ est. Quæ de Hermete narrat Plato, inter παλαιὲς λόγες, id est, apologos & parabolas, ponit, quibus antiquitùs traditæ doctrinæ sub ænigmate continerentur. Quæque Hermes ille sibi ipse, & Ægyptii eidem tribuunt, ea Plato *Vulcano* inventa adscribit: at hi si fabulas spe-

ctes longè diversissimi; si rem ipsam, unus idemq; sunt λόγος, igniculus Mentis. *Qui Grammaticam*, inquit, *& literas invenit, eum vel Deum, vel hominem divinum oportet extitisse: qualis apud Ægyptios Theut fuisse pechibetur*, in Philebo. Sic Phædro jucundam de hoc habet ex veterum fabulis narrationem: *Fuisse ferunt olim in Ægypto vel Dæmonem, vel priscorum Deorum aliquem, cui avis illa Ibis dicta sacra fuerit, nomine Theut: Eum numeros & Arithmeticam, & Geometriam & Astronomiam, ludos item talorum, aleasq́; ac denique literas invenisse. Regnabat eo tempore in Ægypto Rex Thamus, quem Deum Ammonem appellant. Huic igitur inventas à se artes exhibuit Theut, ut inter Ægyptios dividerentur. Thamus singularum finem & usum examinans, alias probabat, alias non. Cùm de literis interrogâsset; cui bono? respondit Theut; Memoriæ & Sapientiæ pharmacum esse: fore enim, ut earum adjumento homines & sapientiores & memoriâ promptiores evadant. Tùm Thamus: Falleris, ô pater literarum: amor te tui fœtus mustei decepit: Negligentiores multò fient & oblivioso-*

visiores: nàm literis confisi, res neque animô comprehendent, neq; memoriâ ruminabunt. Hæc Plato, quæ vel ideò repetere non pigebat, quod & *fabulosum* Platonis sensu *Theut* testentur, & simul judicium priscorum sapientum exponant, *de literarum usu & necessitate*. Quo ipso in fumos abit, ex hoc loco petunt argumentum; qui ab ipso Adamo statuunt inventas literas: & quod humana ipsa vita diutiùs carere illis nequivisset, perituræq; fuerint omnes artes & scientiæ, nisi literarum ope propagatæ fuissent ad posteros. Non vacat excurrere in hunc campum. Quis nescit Theologiam ipsam, omnium scientiarum Reginam, ante Mosen, imò ante digitum DEI, nullis mandatam fuisse literis? Quod & singulari divinæ providentiæ ratione factum constat inter Christianos, & Patrum prudenti consilio; quos ita putandum est fuisse animatos, quomodò *de Tartaris* dicere solent Turcæ: *ideò esse sapientissimos, quod libros suos devôrârint, scriptamq; circumferant sapientiam suam non in chartâ, sed in corde*, apud Busbequium Epist. 4. Sed

argumentum hoc occupârunt jam alii, rationesque attulerunt; cur ante legem duarum Tabularum DEUS voluntatem ſuam in literas mitti, ſcriptove tradere mundo noluerit? *vide Dd. Gerhard. & Waltherum*: ut mirer doctiſſimum virum, *D. Thomam Bangium Exercit. Literar. 1. quæſt. inprimis 4.* loco hoc, à neceſſitate literarum, uti nitique voluiſſe, ut Adamo inventi eius gloriam, literarumque natales aſſereret. Reclamant omnes per orbem Gentes, quæ ante literarum uſum vitam tamen non inertem traduxerunt, & etiàm nunc plurimas artes, nullo literarum adjumento, præceptis vivæ vocis, ac uſu diſcunt, docent, & per manus poſteritati commendant. Atque hæc habui, quæ in præſens de MERCURIO TRISMEGISTO dicerem.

EXE-

Exercitatio Tertia
MISCELLANEA.

SECT. I.

De Sanchoniathone, Phœnicum Historico.

HUnc quoque non indictum prætermittere, operæ pretium est. Hunc alii Mosi, alii Abrahamo ferè coætaneum faciunt, & adeò Mose annis quadringentis superiorem. Testes adducunt *Philonem Biblium & Porphyrium*, ἐκ Διὸς δέλτοις, *dignos quibuscum mices in tenebris.* Philo ille Sanchoniathonis historiam è Phœniciâ in Græcam linguam se transtulisse jactat, libris novem complexus, quos hunc in modum exorditur: *Sanchoniathon* πολυμαθὴς καὶ πολυπράγμων, *cùm ea quæ omnia existiunt, inprimis scire desideraret, multâ cum curâ indagavit scripta Taauti: sciens, quod omnium,*

qui ſub Sole vixerunt, primus Taautus literas invenerit, & hypomnemata ſcribere cœperit: quare ab hoc ſermonis ſui quaſi fundamentũ jecit. Illum autem Ægyptii vocavêre θωὺθ, *Alexandrini* Θὼθ, *Græci interpretati ſunt Hermetem*: hæc ille apud *Euſeb. l. 1. Præpa-rat. c. 6. Porphyrius* xv. ſcripſit libros *adverſſus Doctrinam Chriſtianã*, teſte Suidâ; ex eorum IV. idem *Euſebius*, ac pleniùs eo *Theodoretus 2. de curand. Græcor. affect.* hoc adducunt teſtimonium: *Sanchoniathon Berytius, de Judaicis rebus narrat, quæ ſunt veriſſima, quæq́; locis ac nominibus Judæorum maximè couſentanea. Is enim cùm monumenta quædam brevesq́; commentarios ab Hierombalo, DEI Maximi Sacerdote accepiſſet, confectamq́; hinc hiſtoriam Abelbalo Regi Berythio dedicâſſet, ab Rege ipſo, cæteriſq; veritas disquiſitoribus, tanquàm certus hiſtoriæ ſcriptor acceptus eſt. Horum verò tempora priora ſunt temporibus Trojanis, proximeq́; accedunt ad ipſius Moſis tempora, quantum chronicæ Regum ſucceſſiones oſtendunt. Sanchoniathon verò, qui Phœnicum linguâ Philalethes, hoc eſt, ſtudioſus veritatis interpretatur, omnem*

Judaicæ veritatis historiam, è singularum civitatum commentariis, Templorumque monumentis collectam complexus est, ac literis commendavit, quo tempore Semiramis dominabatur Assyriis. Hæc ille, interprete Acciabo apud Theodoret. Quæ si quis jam olim paullò prudentiori Gentilium Sophorum recitâsset, Herculem, puto Alexicacum, monstrorum domitorem, inclamâsset. Ego totus contremisco, cùm video inter Christianos esse viros doctos, qui hoc tibicine fultam eant suam opinionem, *de literarum ante Mosen antiquitate.* At quàm nullo negotio poterant, vel explodere *testes* hos, vel confutare *testimonia? Philo Biblius*, ut habet Suidas, *Grammaticus fuit vicinus Neronis temporibus: Nam Severum Herennium fuisse Consulem ait, cùm ageret ipse annum LXXIIX. Olympiade CCXX.* [locum puto corruptum: Severus & Herennianus Coss. fuêre anno Dom. CLXXI. Olymp. CCXXXVII. post Neronis excessum annis centum: atque hoc tempore scripsisse illum Philonem, cætera Suidæ quæ sequuntur indicant: quo ipso Christiano-

rum caussam doctissimi & antiquissimi Patres, Justinus, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Melito, Apollinaris, & Athenagoras certatìm quasi ad Impp. tribunal egerunt. Quâ occasione potuit iste Diaboli Advocatus historiam suam prodere] *Scripsit autèm Philo iste,* ut habet Suidas, περὶ κτίσεως, καὶ ἐκλογῆς βιβλίων. *libb. XII.* περὶ πόλεων, *& claris viris. libb. XXX. & de Imperio Adriani, sub quo vìxit:* hæc ille, historiæ huius Phœniciæ nulla mentione factâ. Fuit ille credo *Philo Pythagoricus,* quo autore probat Clemens Alex 1. Stromat. *quod Hebræorum scripta Philosophia multò antiquior sit Græcâ;* aut quem idem Pater dixit scripsisse *de Regibus Judæorum, longè discrepantia ab altero Rerum Judaicarum Historico Demetrio,* eod. libro. Hic primus confinxit, nulli unquàm visum lectumve *Sanchoniathonem*: [quem Kircherus tamen à se, nescio ubi, conspectum, & cum investigaret, oculis subductum affirmat, quod nō excutio.] Ipsum *nomen* figmentum indicat. Quod Porphyrius ait, *Philalethen* significare; alii *eum, qui portenta fulciat.*

Mihi

Mihi cum ludibrio Christiani nominis dictus videatur; quasi *scopulus præparatus asinæ.* Hoc enìm tria Hebraica vocabula notant, *San-chuni-athon.* Accedit, quod Philo narrat, hunc sua ex scriptis *Taauti* hausisse: quo ipso consequutus est, ut exscriptori tantum tribuendum sit fidei, quàm ipsi autori. Recolamus, obsecro, quæ ille ex Taauti libro adduxit *de Origine Mundi* Exerc. præced. Sect. 8. quæ manifesto & palpabili furto ex MosaicâGenesi sublecta, ac, ne fur se proderet, fabulis deturpata, qui non intelligit, elephanti corio tectus est. Nec quæ apud Eusebium ille de primis hominibus, *de Colpiâ Vento & uxore eius Bau* [id est *Bohu* vocabulum Mosaicum] eiusq; filiis *Aeone & Protogono*, ac de horum posterorumque inventis, pertexit, alia sunt, quàm Mosaica fragmenta, crassis incrustata mendaciis: similibus eorum, quæ Gnostici eo ipso tempore contra Christianæ fidei sinceritatem evomebant, inprimis *pepones illi Valentiniani Sophistæ*, de quibus *Irenæus lib. 1. & in Annotat. Gallasius.* At quæ posthæc Philonis Sancho-

niathon replicat, *de Cœlo, qui Tellure ductâ uxore, ex eâ Ilum sivè Saturnum, & Betylum, & Dagona, id est, Frumentarium & Atlantem genuerit, & de Saturni parricidali odio ac bello in patrem*, & alia: jàm meræ Græcorum fabulæ sunt, quales aqud *Apollodorum in Biblioth. lib. 1.* Tum verò quod *Saturno quatuor*, quibus ante retroque prospiceret, alternisq; dormiret & vigilaret, *oculos; alas autèm sex tribuit*, duas in capite, quatuor in humeris partìm volantes, partìm quiescentes; hoc non aliundè quàm *ex Esaiâ & Ezechiele* desumpsit. Et hæc scripserit primùm Taautus, retulerit deindè Sanchoniathon, uterque Mose antiquior? Quid hoc? quod fabulatur: *Saturnum Regem Phœnicum, qui Israël ab iis dictus, post obitum ad Saturni stellam adductus fuerit, filium quem ex Anobreth nymphâ habuerit unicum, Jeud dictum, quo nomine Phœnices unicum filium soleant appellare, regio indutum ornatu in arâ ad id sacrum præparatâ immolâsse, cùm civitas maximo ac periculosissimo bello premeretur?* Quisnon videt, duas sacras historias studio mentiendi

tiendi confudiſſe? ex Geneſ. 22. & 2. Reg. 3. ỳ, 27. Commodè recordor, quod *Grotius ad lib. 1. de Verit. Relig. Chriſt. notavit: in hoc Sanchoniathonis loco nox*, inquit, *dicitur βάαυ, id omninò eſt* בהו *Bohu Moſis: ventus autem, qui ibi dicitur Κολπία, eſt* קול־פי־יה *Col-pi-jah, vox oris DEI*, vide ibid. plura. Agnovit olim jam orbis terrarum, nihil hæc omnia niſi canoras eſſe nugas, damnavitque æternâ oblivione; & Chriſtiani ſint, qui amore cœcutiant, doleantque periiſſe? *De Porphyrio* quid dicam? aut non dicam? Pudet Chriſtiani nominis, ſi eò res rediit, ut ubi de eius fidei autiquitate quæritur, vomicæ hæ & ſtrumæ generis humani ad teſtimonium dicendum produci debeant! Non dico, quod juratus Chriſtianorum hoſtis fuerit, ut amant Apoſtatæ: non quod Euſebius *Dæmonum* dicat fuiſſe *amicum, qui tàm multa mendaciſſimè contra Chriſtianos ſcripſerit*, l. 4. cit. cap. 4. Non, quod Gregorius Nazianz. *Steliteuticas* ſuas *in Julian.* eius *mendaciis & deliramentio* oppoſuerit, ut ait ipſe: quodque & Euſebius de Præp. Evang. &

antè

antè Methodius ac Apollinarius & post alii eius tabulas & calumnias refutârint. *Eunapium Sardinianum* complicem audiamus tantùm, qui laudare hunc sibi proposuerat: *Tyro* narrat *Phœniciæ oriundum, priùs Malchum dictum fuisse, Romæ Plotini se in disciplinam dedisse evasisse, Magum insignem; ut qui è balneo quodam Cacodæmonem expulerit, quem indigenæ Caussantha appellârint: Multa reliquisse scripta passim sibi ipsis contraria*, quod inconstantium & mendacium proprium est: *de quibus*, inquit Eunapius, *non possum aliter judicare, quàm quod progressu ætatis subinde sententiam suam mutaverint*. Hunc scilicet audire docet, si quis verum audire velit! Sed audiamus tamen. Quid est, ô boni, cur Porphyrium adduxeritis testem? *Sanchoniathonem*, ajunt, *vixisse & scripsisse tempore Semiramidis, testatur*. Bonáne fide? *optimâ*. At quâ de re? *de Judaicâ*. De Judaica? obsecro! quo tempore apud Assyrios dominabatur Semiramis, quæ, qualis, quanta fuit res Judaica? Hoc concoquemus bono stomacho. Accipe alium bolum æquè crassum. Undè didicit

istam

iſtam hiſtoriam? *è ſingularum civitatum commentariis, Templorumq́ monumentis.* Quænam, rogo, dic ſi quis potes, vel in Judæâ, vel in Palæſtinâ eo tempore fuêre tâm antiquæ civitates? Templa tâm priſcis referta monumentis? Enimverò quid tùm? Moſi quid hæc officiunt? At ajunt, *oportet, ſi vera ſint, quadringentis ferè annis juniorem eſſe Sanchoniathone.* Euge! quid ſi Porphyrium veſtrum interrogemus? Hem, bone vir, potesne non mentiri? dic ſodes, quâ ætate vixit Moſes? *Ante tempora Trojana,* inquit. Bene; hic mihi Philalethes eris ipſe. Sed quinam eius fuêre σύγχρονοι; *Abelbalus Rex Phœniciæ, & Hierombalus Sacerdos proximè accedunt.* Undè hoc tibi conſtat? *Phœniciæ Regum ſucceſſiones oſtendunt.* Quid oſtendunt? annon Abelbalum fuiſſe Hirami Regis, illius, qui Salomonis amicus fuit, patrem, Davidique Regi Iſraëlitarum ætate ſupparem? Moſe adeò annis ferè quadringentis juniorem? Quod & *Joſephus* Judaicæ hiſtoriæ ſcriptor probat *ex Menandro Epheſio de Tyriorum Regibus, & ex Dio.* lib. 8. Antiq. cap. 2. & 1. contra

Ap-

Appion. Quid ſtas, truncus? pone calculos, & computa. Recipe paullisper animum, explica nobis: quo igitur tempore ſcripſit Sanchoniathon tuus? *Eo ipſo, quo regnavit Abelbalus, cui hiſtoriam ſuam obtulit.* Ergóne Moſe antiquior ille? non dixi, *inquit;* ſed qui me teſtem adduxére. Ego verò diſertè, *proximè acceſſiſſe ad tempora Moſis.* Quid me pati debet? aut luere pœnam alieni ſtuporis? Quàm confidens eſt nugo! At tu circa Semiramidis ætatem. Sanchoniathonem poſuiſti, quæ Moſe antiquior fuit annis ferè quadringentis? *Si me calculus feſellit, humanum erratum eſt*, inquit: illorum veniâ indigna eſt ſupinitas, qui ſtultè errantem ſequuti ſunt ſtultiores. Vos inter vos tranſigite: veritas interìm Moſi antiquitatis palmam adjudicat. Locum *Menandri* qui *de ſucceſſione Regum Phœniciæ* ſcripſit, allegavit etiàm Theophilus Antiochen. l. 3. ad Autolycum. Meminit *Menandri* alicuius *Pergameni*, *& Læti in Phœniciis.* Clemens Alex. 1. Stromat. qui dicant Hiramum filiam ſuam dediſſe Salomoni, qui tempore poſt Trojæ ἅλωσιν

in

in Phœniciam appulerit Menelaus. Nos ad alia pergimus.

SECT. 2.

De ADAMI *Scientiâ.*

QUi literas ab Adamo inventas disputat, argumentum ferè ab eius πολυποικίλῳ scientia efferunt. Sed quod sumunt, non puto concedendum esse. Cavendi hîc duo scopuli: ne *nimis* tribuamus, & ne *nihil*. Qui ignorantiam quandam infantilem, merumque stuporē Adamo recens creato adscribunt, meritò explosi sunt: neque de re, extra omne dubium positâ disceptandum est amplius: At enimverò nec illi, qui eundem omnium artium βιωφελῆ magistrum ab ipso ortu effingunt, audiendi videntur. Puto curatiùs paullò examinandũ esse: Quodnam fuerit Adamicæ scientiæ *objectum?* quæ *forma?* quæ *origo?* & quodnam *subjectum inhæsionis.* Neque hæc expendere περιεργία est, cùm scire intersit, ne quis, ut vulgò, fallatur.

Ac 1. quidèm *de objecto* sic statuunt quidam; scisse Adamum jam tùm omnẽ *Theologiam*, omniaque Mysteria, à Deo hominibus ad beatitudinem consequendam revelata; etiàm adeò ipsam Filii Dei incarnationem: Quâ de re tamen inanes Scholasticorum σκιαμαχίας legere est apud *Coningium de Artib. Supernat. Disp. 17. Dub. 1.* ut anteriores *Suarezium*, *Vasquezium*, & alios omittam. Scisse deindè *Philosophiam* omnem, Physicam, Astronomicam, etiam Astrologicam: etsi cœli & siderum scientiam Adamo neget *Cajetanus*, contra quem velitatur *Pererius in Genes. l. 5. Disp. 1. Athanasius Kircherus* Medicinam prætereà & Chemiam calluisse vult, quâ *metallorum depurationes, fusiones, fixationes, calcinationes, & id genus alia penetraverit.* Certè Paracelsistæ Chemiatri, universali cuidam medicinæ, quam invenerit Adam, longævitatem eius & posterorum adscribunt, ut *Nollius l. 10. Physicæ Hermeticæ.* Quæ ex Suida adducit prætereà Kircherus, piget repetere, cùm apud ipsummet Suidam legi possint. Ex Rabbinis duo repeto testimonia:

monia. Abarbaneelis: *Creavit Deus hominem in perfectione maximâ: erat corpus eius instar Mundi cuiusdam parvi, in quo omnia majoris Mundi expreſſa miracula: anima verò erat ſpeculum Deitatis, plenum ſapientiâ & ſcientiâ, cuius nec numerus erat, nec finis.* R. Gerſonis: *Adam fuit ſapientiſſimus, Princeps Philoſophorum, immediatus DEI diſcipulus, qui vires animalium, herbarum, arborumq; noverat: Medicus item & Aſtrologus, fons è quo omnes ſcientiæ & artes profluxerunt.*

2. *De modo ſciendi* conſpirat; habuiſſe Adamum, ab ipſo creationis initio, ſcientiam *naturalem*, eamque *habitualem*, quæ tamen actu & exercitio atque experimentis creſcere potuiſſet; conjunctam cum ſingulari ingenii capacitate & facultate, quâ facilè *actualem experimentalemq; ſcientiam* comparare ſibi potuiſſet, adjutus aliis internis externisq; præſidiis, de quibus Pererius. Additam & inditam fuiſſe *fidem* infuſam, *ſupernaturalem*, Viatori ad Deum tendenti neceſſariam, quod probat Coningius. *Originem*
3. *iſtius ſcientiæ*, quâ *naturalis* fuit, Deum

N fuiſſe

fuiſſe Creatorem,ut cauſſam efficientem principalem;cauſſam verò exemplarem fuiſſe ſpecies intelligibiles rerum omnium animo impreſſas: at quâ *ſupernaturalis* fuit, ortam ex interno Dei inſpiratu, quo Propheta fuerit effectus Adam: Rabbini etiàm *Angelum adſiſtentem* addunt, de quo *Capnio in Cabbala*, & *Kircherus &c. Denique* 4. *ſubjectum quod*; Adamum fuiſſe ſolum: Evæ ſcientiam neque graduum perfectione, æqualem fuiſſe; undè à Serpente loquente decipi potuerit: perque generationem naturalem nec ſupernaturalem, ſed ſolam illam ſingularem δύναμιν ac habilitatem fuiſſe propagandam, ut diſputat *Pererius* argumentis, non ſpernendis *quæſt.*5. Quo ipſo conficitur, totam hanc ſcientiam non pertinuiſſe ad imaginem Dei per ſe, ſed ad excellentiam ſolius Adami, ut à Deo conſtituti Doctoris catholici. Quod cùm noſtri non poſſint admittere, ex iis ipſis argumentis, quibus contra Socinum evincunt; *imaginem Dei etiàm in iſtâ perfectione intellectus, quæ ſcientia veritatis eſt, conſtitiſſe*: ideò neceſſe fuit, ut aſſere-

rent

rent etiàm posteros Adami, cum tali quâdam scientiâ gradibus tantùm inferiore, nasci debuisse: ut nunc certum est, cum ignorantiâ qnâdam habituali nasci post lapsum, quæ non sit nudà nescientia, aut negatio scientiæ; sed privatio perfectionis debitæ, cum prava dispositione, & habitu contrario. Habes sententias, quas nunc quidem ad limam & lineam examinare nec licet, nec libet.

Mihi hoc exploratæ veritatis esse videtur; 1. Circa omne dubium protoplasto homini *ingenium quoddam divinum*, indolemq; ad omnem, quam quidèm scire hominem deceat, scientiam docilem capacemque ab ipso conditu inditam fuisse, quâ facultate omnibus, qui unquàm extiterint, hominibus præcelluerit. Hanc ille, etsi non eodem semper gradu, genitis ex se naturæ traduce impertivisset; eiusque adjumento, aliisque præsidiis, quorum varia Pererius recenset, cùm Adamum tùm & posteros, plurimas scientias & artes, statui isti integritatis congruas, re-

perire potuiſſe, nemo dubitabit: nec de eo lis eſſe poterit; quod lapſo Adamo umbra tantùm huius hebitudinis ſuperfuerit, ac mentis acumen habetudo jàm naturalis fregerit, nulli ſine moleſtiâ & difficultate multâ evincenda: nobis autèm connaſci reliquias tantùm quasdam, tantas tamen, ut homines dici poſſimus, animal capax diſciplinæ, indubium eſt.

2. Præter hanc δύναμιν, Adamo quoque concreatam fuiſſe aliquam ſcientiam naturalem, teſtatur S. Scriptura: nec dubium eſt, quin *habitus* fuerit connatus, qualis eſt *communium noticiarum* in mente noſtrâ, quibus Deum eſſe, & colendum eſſe, & alia, nullo externo magiſterio ſcimus, de quâ ſcientiâ *Tertullianus de Teſtimon. Animæ*: Nam qui hanc negant, hominem infra bruta relegant; quæ noxia cavere, ſalutaria perſequi, ac jus qnoddam naturæ, hujus inſtinctu norunt: quâ ſine noticiâ vitam ſtatumque ſuum tueri, finemque, cuius gratiâ ſunt, conſequi non poſſunt. At enim *quæ aut quanta fuerit hæc naturalis concreata ſcientia in Adamo*, tam facilè non puto explicari.

cari. Id tamen rationi conſentaneum eſt, tantam fuiſſe, quanta ad perfectionem intellectus, in illo ſtatu, in quo ſtatim poſt creationem victurus eſſet Adam, & ad conſequendum finem proprium, neceſſaria fuerit. Debuit autem ille *Deo creatori* obſequium; *Evæ* auxilium & conſilium; *creaturis* ſubditis regimen quoddam; *Paradiſo* culturam; *naſcituris* educationem; *ſibi ipſi* prndentem in uſu rerum naturalium, vitâque illâ ſuâ animali, cautelam & circumſpectionem: hæc omnia confeſtim, ab eo momento pleraque, quo Solem adſpicere cœpit. Quare, cùm neque à Deo & Angelis ſine perpetuò quodam miraculo; neque ab ullo alio Magiſtro ſine morâ, aut quædam reſpectu ſui ſtatus indecentiâ; neque per ſe crebris actibus & diſcurſibus ſine experientiâ, citrave periculum; aut alio ſimili modo diſcere potuerint: neceſſe eſt, eorum, ab ipſo exortu, divinitùs animo inſculptam noticiam habuerit. Neque negandũ reor; talem aliquam in liberos per generationem transfudiſſe, cuius è principiis, omnes poſteà artes & ſcien-

tias, iſti conditioni neceſſarias & aptas, citra moleſtiam difficilemque inveſtigationem, univerſalia particularibus applicanda, invenire potuiſſent. Confirmant reliquiæ huius ſcientiæ, quæ, diverſo tamen gradu, in aliis aliisque etiam nunc apparent, per quas variè diſponimur ad artes diſciplinasque diſcendas, aut & inveniendas. *Non omnia poſſumus omnes*: ut etiàm *non omnis fert omnia tellus*. Ingenium vocamus; quod aliò alios, quemque juxta ſemina naturæ ſuæ, diverſas etiàm Gentes ad diverſa ſtudia, trahit; & hoc naturæ bonum DEI donum ducimus, *nec ſtudio parari, ſed cum ipsâ mentis formatione generari*, ut ait Minutius Felix in Octavio ſuo.

3. Adhæc Adamum quoque *noticiâ ſupernaturali* inſtructum fuiſſe, ex S. Literis, & ipsâ ratione conſtare poteſt. Quam qui *Fidem* vocant cum SS. Patribus, non falluntur; habitum puto θεόςδοτον, aut lumen quoddam gratiæ in intellectu accenſum, quo divinis revelationibus facilè & quaſi naturaliter aſſentiretur. Putem conferri poſſe *cum habitu*

in-

intelligentiæ & ſapientiæ; quo ea, quæ ſupra Naturæ lumen ſunt; homini, non ad vitam hanc *animalem*, ſed ad illam *ſpiritualem*, in ſtatu gratiæ poſito, ut filio DEI ſcitu neceſſaria; tàm quoad eſſentiam, quàm quoad voluntatem divinam, cognoverit. Hoc donum, ut reſpectu originis & principiorum, ac ratione formali, *ſupernaturale* agnoſcimus; ſic *naturale* vocamus; quia naturam intellectus perficiebat, perque naturalem generationem propagari potuiſſet: denique quia, Dei pacto & propoſito gratioſo, ſic cum naturâ coaluerat, ut intellectui firmiter inhæreret, unico & ſolo inobedientiæ peccato excuti poſſet: quo actus ſcientiæ ſupernaturalis naturaliter quaſi elicuiſſet homo, non tantùm ſpeculativos; verùm etiàm cumprimis practicos, ex internis huius noticiæ habitualis principiis, nullo extrà magiſtro. Hæc notitia illa eſt, quæ *ad imaginem DEI*, πρώτως & propriè ſpectatam, ut pars pertinet: cui, heu, per lapsū amiſſæ, ſtatìm horribiles illæ tenebræ ſucceſſêre, quæ excuſſo obedientiæ jugo,

sublataq; gratiosâ Dei influentiâ, ipsum illicò Adamum miserabilem in modum oppresserunt. In eius tamen locum *fides* venit, quæ per regenerationem etiàm *infantibus* inest, quæ eliciunt supernaturaliter actum illum, quo Christum induunt, ut ad imaginem creatoris sui reformentur: hoc tamen citra mentis discursum, supra sensum, & absque intellectus in se reflexione. Et ut hic in dono fidei, nulla sexus differentia; sed vir & fœmina in Christo unum sunt: Ita illic quoque fuerunt. Quin &, ut ad eliciendos fidei actus, homini renato perpetuus *gratiæ cooperantis concursus*, eiusq; organō *divinum verbum* necessarium est; ita non defuit Protoplastis *divina revelatio* exte na, subindè nova; quâ de dignitate sui status, de beneficio Creatoris, deque debito suo officio admonerentur, ut Mosaicâ ex historiâ constat: neque *gratia cooperans* & comitans concepto peccato, excuteretur.

4. Ex his colligi posse videtur, *quantam & quarum rerum noticiam concreatam Adamus habuerit?* Nempè earum, quarum

quarum noticiâ nullo carere temporis puncto, absque indecentiâ, aut defectu debitæ perfectionis, pro illo ſtatu *vitæ* partìm *animalis*, partìm & *Spiritualis*, potuiſſet: hoc eſt; ſine quâ neque ſibi proſpicere, neque dominari animalibus, ac jure dominii nomina imponere, neque adeò cætera exſequi ſciviſſet, quæ ab ipſo ei creationis momento incumbebant. Modum ac rationem compendio exponit Siracides cap. 17. ſed locum expendere non vacat. Ut autèm Creatorem agnoſceret & coleret, quo fine conditus erat, inque hoc mundi theatrum velut ſpectator introductus, opus habebat & *naturali* eius noticiâ, cuius reliquiæ ſuperſunt; & *ſupernaturali*, quæ cum imagine Dei nota periit. Utraque non tota ſimul perfecta fuit: creſcere & potuit & debuit: interìm ergò quædam diſcenda ſimplici neſcientiâ ignorabat, citra ullam labem aut injuriam. Quare tàm naturâ magiſtrâ, quàm ſuperadditâ frequenti revelatione DEUS Adamo ſubveniſſet, ut novos ſubindè ſcientiæ fideique actus produceret, novosque indè compararet

habitus. Atque hi quidèm, pro rectitudine eâ, qua dotatus erat, omnes sancti, suoque genere perfecti, statui innocentiæ congrui, & fini ultimo ac intermedio adæquati fuissent: nam ex curvitate ingenii posteà κακοτεχνίαι καὶ ματαιοτεχνίαι illæ subortæ sunt, de quibus Salomo Eccl. 1. 12. 18. & 7. 30. Tum verò etiàm *duris urgens in rebus egestas acuit mortalia corda, & labor ingenium miseris dedit*, ut canit Manilius in 1. ℣. 79. Undè certum est; quod Adamus ante lapsum literarum noticiam neque habuerit, neque acquirere potuerit, aut debuerit; non magis quàm Eva nendi vel texendi. Post lapsum si quis reperisse disputat; ab ipsius scientiâ jàm tùm deperditâ, frustrà ducit argumentum. Quod rectè observavit doctissimus *D. Bangius Exercit. 1. de Literar. Natalib. Quæst. 3.* argumentum Bibliandri petitum *partìm à dignitate & excellentiâ primi hominis, partìm à nominibus bruto animantium generi impositis*, non sufficere, ut adstruatur, eum primum literarum inventorem fuisse.

SECT.

SECTIO 3.

Sethi, Sethianorumq́, columnæ & libri antediluviani.

VIdeamus ergò jam cætera argumenta, quibus literæ ante diluvium natæ usitatæque creduntur. Eorum *primum* ducitur à literarum necessitate. *Necessitate monstrante etiam*, inquit D. Bangius, *Adamus, animadvertens se admisso peccato amisisse incomparabiles animi, memoriæ, sagacitatis & sapientiæ dotes, prima characterum rudimenta juvandæ memoriæ caussâ præformavit, &c.* Sed hoc telum jam suprà Plato ipse è manibus extorsit, apud quem *Thamus* Taauto literarum repertori verè & sapienter respondit; *literas non opem adferre memoriæ, sed pestem: quod confisi externis illarum alienisq́; simulachris, interna & propria animo inprimere negligant*: ut adeò scitè prudenterque dictum sit; *adversaria ideò dici, quod memoriæ & scientiis adversentur.* Non

Non negandum quidèm eſt, ut nunc res habet, carere literis artium ſcientiarumq́; cupidos non poſſe. Sed alia longè primorum Sapientum ratio fuit. Conſtabant artes & ſcientiæ paucis præceptis, eâque formâ, quæ in Heſiodo apparet, *ut Plutarchus ait in Theſeo.* Sic Sapientes habiti Septem illi in Græciâ, quos *Dicæarchus* dixit, *neque Sophos neque Philoſophos fuiſſe, ſed* συνετοὺς τινας καὶ νομοθετικοὺς apud Laërtium in Thalete. Nullæ dum λογομαχίαι, nullæ *Cadmeæ pugnæ* erant: *ex ſerpentinis dentibus à Cadmo Phœnice ſeminatis*, hoc eſt, ex reportis ab eo primis literarū elementis, numero ſedecim, quot dentes ajunt eſſe ſerpentibus, enatæ ſunt. Solus artium uſus ſpectabatur, ſola commoditas. Denique reperta quisque ſua, vivâ voce, commendabat poſteris, tradebanturq́; præcepta *carminibus incluſa*, ut memoriæ faciliùs inhærerent. Sic *Homeri poëſin ſine literis diu conſervatam*, prodit Joſephus I. contra Appion. Sic *Gothorum animos Dicineus carminibus & diverſis cantibus demulcens, ſtudioſos reddidit* : qui quanquàm literis carerent, tamen *omni-*
bus

bus barbaris sapientiores extiterunt, Græcis pænè consimiles, ut ait Frechulphus l. 2. Chron. cap. 25. Sic *Scythis* miratur Justinus *naturam dedisse, quod Græci longâ Sapientum doctrinâ præceptisq; Philosophorum consequi nequirerunt*, lib. 2. cap. 2. Piget tempus terere; progrediar ad *alterum argumentum*, quod *à Patrum antidiluvianorum longævitate* dicitur: *Quis tàm demens fuerit, ut putet homines illos sanctissimos, eorumq; qui tantùm non mille annos, in smmmâ rerum indagine, vivebant, filios, alumnos & superstites, post CIↃ. IↃ. L. annorum decursum caruisse literis?* ait Postellus apud D. Bangium. Sed hoc nimis obtusum est. Quid si dixerim totidem ferè verbis: Quis tàm demens fuerit, ut homines illos sanctissimos [quique vivâ voce DEI ipsius subindè informabantur, nec sectabantur in studiis suis τὰ μάταια, ut nos ἐνδεεῖς φρενῶν, Proverb. 12. ℣. 11.

Τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὣν ποιούμεθα.
τὸ δ᾽ ἔργον, ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα,

ut scitum habet Agathonis apud Clem. Alex. & Athenæum.

Quod

Quod præter opus est, ut opus exsequi lubet;
At ipsum opus, ceu præter opus, excudere.] eosque, qui tot seculis, in solâ summè necessariorum studiorum indagine vivebant, posterisque conversabantur, eguisse literis? *Quot enim vivebant Patriarchæ,* ut ipse ait D. Bangius, *ut viva extabant volumina;* ut *ex commentario sapere* nec liberet, neque necesse; cùm tot præstò essent Doctores vivi, quorum quisque dici posset, βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατῶν μουσεῖον, *bibliotheca animata, & museum obambulans?* Ipsa illa longævitas in caussâ fuit, cur DEUS tradititionem illam fidei & salutaris doctrinæ literis mandare distulerit? quod ab ipso Adamo, usque ad Mosen, integra inviolataque, intra paucorum Doctorum, divinitùs gubernatorum, conscientiam, conservari potuerit: Nam *ab Adamo Lamech,* ab hoc *Noha;* à Noha *Sem,* à Semo *Abrahamius* ab hoc posteri utque ad ipsum *Mosen* pauci, per manus traditam omni procul dubio acceperunt. Sed hoc nostri diligenter exsequuti sunt, in quæstione *de S. literarum origine & necessitate.*

Perga-

Pergamus ad *tertium argumentum*, quod sumitur à literarũ librorumq; antediluvianorum exemplis. Ac visuntur sanè Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ octo columnæ quadratæ, in quibus Adami, filiorumque Sethi &c. literæ proponuntur: deindè primus *Theseus Ambrosius* Anno 1539. Papiæ evulgavit literas Adamæas, quas ex Magicis libris *Razielis*, *Picatricis*, & similibus ad rogum damnatis, se collegisse fassus est; Secuti sunt alii, de quibus accuratè *D. Bangius Exercit. 2. de literaturâ Patriarchali*, ubi totum hunc apparatum evertit. Actum agere non est opus. Accipe tantùm argumenta, quibus vanissimum hoc commentum hominum otiosorum fulcitur. 1. *Ratio ipsa persuadet*, ait Angelus Roccha, *Adamum divinitùs edoctum certos scribendi characteres, tàm necessarios, aliis præmonstrâsse.* 2. Citatur ab Epiphanio liber, titulo: *Adæ revelatio, quandò DEUS immisit soporem super illum*; & ab Augustino alius, *de Genealogiâ filiorum & filiarum Adami*: ab aliis alius, *Evæ Prophetiæ à Raziele, Angelo primi paren-*

parentis Adami, conscriptæ, &c. 3. Testatur *Josephus*, duas Sethianorum columnas extitisse ante diluvium literis inscriptas. 4. Scriptus fuit *Liber Henochi*, extatque hodiè *aliquis in Æthiopiâ magnæ autoritatis, & pro Canonico habitus, qui Henocho autori tribuitur*, ut ait Duretus. Obsecro te, prudens lector, quæ talibus nititur patrociniis, quàm bona videtur caussa! Examinavit pleraque D. Bangius, & confutavit, Rabbinorum, Hæreticorum Magorum è promptuariis petita statìm desspuenda, & Vulcano consectanda. Solus *liber Henochi* morari non nihil posset, & *Josephi testimonium* de Sethi posteris.

Ac de Libro quidèm HENOCHI, *post Homerum*, ut ajunt, *Iliada, conscribere* non vacat. Egerunt de eo *Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. de libris deperditis, & Dn. D. Bangius Exercit. 1. cit.* quantum satis est. Fragmentorum quasi testæ, quæ apud Clement. Alex. in Eclogis, Tertullianum, Originem, aliosque Patres, ut & *in Testamento XII. Patriarcharum* apocrypho, inter monumenta orthodoxa, extant,

tant, atque illud inprimis insigne, quod post Scaligerum & Kircherum exhibet D. Bangius, satis demonstrant, è quâ figlinâ prodierit vas tàm pollutum. Nec mihi dubium, ex occasione Prophetiæ Henochi, quam *ex traditione* allegat. S. Judas Apostolus, confictum fuisse à Gnosticis, Simonis Magi asseclis, quorum hoc studium fuit, ut Doctrinam cum Magiâ, Christum cum Beliale conciliarent. *Hic, ajebant, est ille Henoch, qui primus hominum placuit Deo, qui primus literas didicit, qui primus descripsit signa cœlestia, mensiumq́ conversiones*, ut in Catenâ Pentateuchi Franc. Zephyrini ex Theodoreto. *Mera mapalia!* οὐδὲν ὑγιές. *Et mendacem decebat esse memorē*, quod dicitur. Nàm eadem omnia Adamo & Sethianis tribuunt iidem. Pontificii Interpretes mirè perplexantur. *Mendoza in libb. Regum Proœm. Annot. 2. Sect. 2.* cùm dixisset: *Sacram historiam à Mose editam, non modò inter profanos, sed etiàm inter sacros libros, esse antiquissimam*, num. 47. mox cùm ad objectionem de libro Henochi responderet: *Fateor*, inquit, *eum aliquid divinum scripsisse cum D. Augusti-*

O gusti-

gustino. At *Cornelius à Lap, in Comm. Epist. Judæ*: Henoch, *inquit*, fuit Propheta, & ea, quæ citat hîc Judas, prophetavit vivâ voce; quæ vel traditione majorum accepit Judas, vel ex libro sivè ab Henoch, sivè à Nohâ, sivè à quo alio, qui prophetias Henoch collegit, conscripto. Jam *Estius*, cùm sciscitatus esset; *quomodò non interierit ista Prophetia in diluvio?* respondet, *potuisse conservari à Nohâ in arcâ, ut visum Tertulliano: addo, inquit, potuisse etiàm exstare lapidi insculptam*: tùm verò postquàm docuisset; ea quæ Patres, de Angelorum cum filiabus hominum libidine, ex Henochi libro allegant, *apocrypha esse, & mendaciter conficta, à quopiam hæretico vel fabulatore, qui librum titulo Henoch ediderit*; concludit: *Hinc postremò disce, literarum inventum antiquius esse diluvio*, &c. Talia tantùm exposuisse, refutâsse est. *Tertullianum* turpiter deceptum fuisse, quod librum Henochi apocryphum venditârit pro vero & Canonico, omnes consentiunt. *Augustinum* errâsse ipsa eius verba indicant: *Scripsisse nonnulla divina Henoch, septimum illum*

ab

ab Adam, negare non possumus; cùm hoc in Epistolâ Canonicâ Judas Apostolus dicat. At ubi dicet, scripsisse? Ludovicus de Marche *in Apologiâ pro Constitut. Innocent. X. R. P.* contra Jansenitas, ad objectum Augustini nomen, *q. Ajacis scutum*, hoc inter alia respondet: *Cùm ille Pontificum Rom. oraculis careret, scribit de se ipse*, l. 4. de Trinit. in Procem.; *cor suum, ut pote humanum, figmenta multa parere*: eiusmodi esse; *quod Angeli sint corpore, quod nefas sit Christianis interficere infideles, mortem intentantes; infantes etiàm baptizatos salvos esse non posse, nisi percipiant Eucharistiam*, &c. Deniq; in re tanti momenti, non patiar me abduci à communi sensu fidelium, de antiquitate Mosaicæ scripturæ, conjecturis vix verisimilibus: in quibus adstruendis, ita videò à lineis veri passìm aberrare defensores, ut *Camelum*, quod dici solet, *saltantem* exhibeant.

D. Bangius cùm librum Henochi diligenter refutâsset, tandèm tamen concludere non dubitavit; *non tamen prepterea Henocho, omnem scripturam vel*

ſculpturam literarum antediluvianarum temerè adjudicandam eſſe: Quid ita? *quoniàm*, inquit, *inter Adami poſteros fuit, qui duabus columnis ſua inventa inſcripſerunt*. Quænam, obſecro? magni oportet æſtimâſſe, ac meritò magni facienda fuiſſe, quæ æternitati ſanctiſſimi illi viri conſecrare, & in mundum uſq; alterum propagare laborârint? cur *ſua inventa*, & non potiùs *DEI* de reparatione humanæ ſalutis *oracula*? cur non caput illud Fidei poſt lapſum præcipuum, *columnam & firmamentum veritatis*: Quod *DEUS ſit, & remunerator futurus ſit colentium ipſum*? Scientiam rerum cœleſtium, *ait Jöſephus*, conſecuti, ne inventa ſua ex hominum memoriâ perirent, ſcientes ex Adami prophetiâ, duplicem Mundo inſtare interitum, alterum per aquam, alterum per ignem; duas excitaverunt columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam, ut ſi hæc deleretur, ſuperſtes eſſet illa, &c. At quantò prudentiùs ſabulator *Beroſus* Annianus: *Venturam mundo perditionem multos Sethi poſteros prædicâſſe, & lapidibus incidiſſe*: Optimè Goro-

pius

pius Becanus l. 1. Hieroglyph. *Dignam nam ſcil.* inquit, *piis viris curam audimus, dùm magnâ ſollicitudine hoc agitur; ne aſtrorum curſus ullâ unquàm ratione perdatur, quo nihil eſt, quod ſui ipſius cognitionem faciliùs & certiùs queat tueri! Si bene res omnes expendiſſent, hac curâ Soli & Lunæ, qui cæterorum ſiderum reverſiones metiuntur, relictâ; hoc omni ſtudio contendere debuiſſent, ne Oracula de generis humani per Chriſtum ſalute, apud poſteros ignorarentur. Diluvium autèm futurum legimus Noacho primum à Deo fuiſſe revelatũ, & eius ſcriptoris, qui hoc prodidit, tanti facimus autoritatẽ, ut eos, qui diverſa tradunt, aut nihili, aut minoris nihilo æſtimemus. Bene igitur valeat Joſephus cum ſuis columnis: nos interim Moſen ſeqnamur, ne tàm ſiniſtram, de Sethianorum piis animis, concipiamus opinionem; ut majorem Aſtrologiæ, quàm Religionis & vaticiniorum, à majoribus editorum, rationem atque curam eos habuiſſe dicamus.* Hæc ille. Nec judicare aliter poſſunt, quotquot DEUM amant, & Chriſtum eius! Ego quantò magis conſidero, tantò miror magis magiſq;, fabulam tàm ineptã ulli eru-

ſublataq; gratioſâ Dei influentiâ, ipſum illicò Adamum miſerabilem in modum oppreſſerunt. In eius tamen locum *fides* venit, quæ per regenerationem etiàm *infantibus* ineſt, quæ eliciunt ſupernaturaliter actum illum, quo Chriſtum induunt, ut ad imaginem creatoris ſui reformentur: hoc tamen citra mentis diſcurſum, ſupra ſenſum, & absque intellectus in ſe reflexione. Et ut hic in dono fidei, nulla ſexus differentia; ſed vir & fœmina in Chriſto unum ſunt: Ita illic quoque fuerunt. Quin &, ut ad eliciendos fidei actus, homini renato perpetuus *gratiæ cooperantis concurſus*, eiusq; organō *divinum verbum* neceſſarium eſt; ita non defuit Protoplaſtis *divina revelatio* exte na, ſubindè nova; quâ de dignitate ſui ſtatus, de beneficio Creatoris, deque debito ſuo officio admonerentur, ut Moſaicâ ex hiſtoriâ conſtat: neque *gratia cooperans* & comitans concepto peccato, excuteretur.

4. Ex his colligi poſſe videtur, *quantam & quarum rerum noticiam* concreatam *Adamus habuerit?* Nempè earum, quarum

quarum noticiâ nullo carere temporis puncto, absque indecentiâ, aut defectu debitæ perfectionis, pro illo ſtatu *vitæ* partìm *animalis*, partìm & *Spiritualis*, potuiſſet: hoc eſt; ſine quâ neque ſibi proſpicere, neque dominari animalibus, ac jure dominii nomina imponere, neque adeò cætera exſequi ſciviſſet, quæ ab ipſo ei creationis momento incumbebant. Modum ac rationem compendio exponit Siracides cap. 17. ſed locum expendere non vacat. Ut autèm Creatorem agnoſceret & coleret, quo fine conditus erat, inque hoc mundi theatrum velut ſpectator introductus, opus habebat & *naturali* eius noticiâ, cuius reliquiæ ſuperſunt; & *ſupernaturali*, quæ cum imagine Dei nota periit. Utraque non tota ſimul perfecta fuit: creſcere & potuit & debuit: interìm ergò quædam diſcenda ſimplici neſcientiâ ignorabat, citra ullam labem aut injuriam. Quare tàm naturâ magiſtrâ, quàm ſuperadditâ frequenti revelatione Deus Adamo ſubveniſſet, ut novos ſubindè ſcientiæ fideique actus produceret, novosque indè compararet

habitus. Atque hi quidèm, pro rectitudine eâ, qua dotatus erat, omnes sancti, suoque genere perfecti, statui innocentiæ congrui, & fini ultimo ac intermedio adæquati fuissent: nam ex curvitate ingenii posteà κακοτεχνίαι καὶ ματαιοτεχνίαι illæ subortæ sunt, de quibus Salomo Eccl. 1. 12. 18. & 7. 30. Tum verò etiàm *duris urgens in rebus egestas acuit mortalia corda, & labor ingenium miseris dedit*, ut canit Manilius in 1. ℣. 79. Undè certum est; quod Adamus ante lapsum literarum noticiam neque habuerit, neque acquirere potuerit, aut debuerit; non magis quàm Eva nendi vel texendi. Post lapsum si quis reperisse disputat; ab ipsius scientiâ jàm tùm deperditâ, frustrà ducit argumentum. Quod rectè observavit doctissimus *D. Bangius Exercit. 1. de Literar. Natalib. Quæst. 3.* argumentum Bibliandri petitum *partìm à dignitate & excellentiâ primi hominis, partìm à nominibus bruto animantium generi impositis*, non sufficere, ut adstruatur, eum primum literarum inventorem fuisse.

SECT.

SECTIO 3.

Sethi, Sethianorumq́; columnæ & libri antediluviani.

VIdeamus ergò jam cætera argumenta, quibus literæ ante diluvium natæ usitatæque creduntur. Eorum *primum* ducitur à literarum necessitate. *Necessitate monstrante etiam*, inquit D. Bangius, *Adamus, animadvertens se admisso peccato amisisse incomparabiles animi, memoriæ, sagacitatis & sapientiæ dotes, prima characterum rudimenta juvandæ memoriæ caussâ præformavit, &c.* Sed hoc telum jam suprà Plato ipse è manibus extorsit, apud quem *Thamus* Taauto literarum repertori verè & sapienter respondit; *literas non opem adferre memoriæ, sed pestem: quod confisi externis illarum alienisq́; simulachris, interna & propria animo inprimere negligant*: ut adeò scitè prudenterque dictum sit; *adversaria ideò dici, quod memoriæ & scientiis adversentur.*

Non

Non negandum quidèm eſt, ut nunc res habet, carere literis artium ſcientiarumq́; cupidos non poſſe. Sed alia longè primorum Sapientum ratio fuit. Conſtabant artes & ſcientiæ paucis præceptis, eâque formâ, quæ in Heſiodo apparet, *ut Plutarchus ait in Theſeo.* Sic Sapientes habiti Septem illi in Græciâ, quos *Dicæarchus* dixit, *neque Sophos neque Philoſophos fuiſſe, ſed* συνετούς τινας καὶ νομοθετικούς apud Laërtium in Thalete. Nullæ dum λογομαχίαι, nullæ *Cadmeæ pugnæ* erant: *ex ſerpentinis dentibus à Cadmo Phœnice ſeminatis*, hoc eſt, ex reportis ab eo primis literarũ elementis, numero ſedecim, quot dentes ajunt eſſe ſerpentibus, enatæ ſunt. Solus artium uſus ſpectabatur, ſola commoditas. Denique reperta quiſque ſua, vivâ voce, commendabat poſteris, tradebanturq́; præcepta *carminibus incluſa*, ut memoriæ faciliùs inhærerent. Sic *Homeri poëſin ſine literis diu conſervatam*, prodit Joſephus 1. contra Appion. Sic *Gothorum animos Dicineus carminibus & diverſis cantibus demulcens, ſtudioſos reddidit* : qui quanquàm literis carerent, tamen *omnibus*

bus barbaris sapientiores extiterunt, Græcis pœnè consimiles, ut ait Frechulphus l. 2. Chron. cap. 25. Sic *Scythis* miratur Justinus *naturam dedisse, quod Græci longâ Sapientum doctrinâ præceptisq; Philosophorum consequi nequirerunt*, lib. 2. cap. 2. Piget tempus terere; progrediar ad *alterum argumentum*, quod *à Patrum antidiluvianorum longævitate* dicitur: *Quis tàm demens fuerit, ut putet homines illos sanctissimos, eorumq; qui tantùm non mille annos, in smmmâ rerum indagine, vivebant, filios, alumnos & superstites, post CIↃ. IↃ. L. annorum decursum caruisse literis?* ait Postellus apud D. Bangium. Sed hoc nimis ŏbtusum est. Quid si dixerim totidem ferè verbis: Quis tàm demens fuerit, ut homines illos sanctisſimos [quique vivâ voce DEI ipsius subindè informabantur, nec sectabantur in studiis suis τὰ μάταια, ut nos ἐνδεεῖς φρενῶν, Proverb. 12. ℣. 11.

> τὸ μὲν πάρεργον, ἔργον ὡς ποιούμεθα.
> τὸ δ' ἔργον, ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα,

ut scitum habet Agathonis apud Clem. Alex. & Athenæum.

Pergamus ad *tertium argumentum*, quod sumitur à literarũ librorumq; antediluvianorum exemplis. Ac visuntur sanè Romæ in Bibliothecâ Vaticanâ octo columnæ quadratæ, in quibus Adami, filiorumque Sethi &c. literæ proponuntur: deindè primus *Theseus Ambrosius* Anno 1539. Papiæ evulgavit literas Adamæas, quas ex Magicis libris *Razielis*, *Picatricis*, & similibus ad rogum damnatis, se collegisse fassus est: Secuti sunt alii, de quibus accuratè *D. Bangius Exercit. 2. de literaturâ Patriarchali*, ubi totum hunc apparatum evertit. Actum agere non est opus. Accipe tantum argumenta, quibus vanissimum hoc commentum hominum otiosorum fulcitur. 1. *Ratio ipsa persuadet*, ait Angelus Roccha, *Adamum divinitùs edoctum certos scribendi characteres, tàm necessarios, aliis præmonstrâsse*. 2. Citatur ab Epiphanio liber, titulo: *Adæ revelatio, quandò DEUS immisit soporem super illum*; & ab Augustino alius, *de Genealogiâ filiorum & filiarum Adami*: ab aliis alius, *Evæ Prophetiæ à Raziele, Angelo primi* paren-

parentis Adami, conſcriptæ, &c. 3. Teſtatur *Joſêphus*, duas Sethianorum columnas extitiſſe ante diluvium literis inſcriptas. 4. Scriptus fuit *Liber Henochi*, extatque hodiè *aliquis in Æthiopiâ magnæ autoritatis, & pro Canonico habitus, qui Henocho autori tribuitur*, ut ait Duretus. Obſecro te, prudens lector, quæ talibus nititur patrociniis, quàm bona videtur cauſſa! Examinavit pleraque D. Bangius, & confutavit, Rabbinorum, Hæreticorum Magorum è promptuariis petita ſtatìm deſpuenda, & Vulcano conſectanda. Solus *liber Henochi* morari non nihil poſſet, & *Joſephi teſtimonium* de Sethi poſteris.

Ac de Libro quidèm HENOCHI, *poſt Homerum*, ut ajunt, *Iliada, conſcribere* non vacat. Egerunt de eo *Dn. D. Waltherus in Offic. Bibl. de libris deperditis, & Dn. D. Bangius Exercit. 1. cit.* quantum ſatis eſt. Fragmentorum quaſi teſtæ, quæ apud Clement. Alex. in Eclogis, Tertullianum, Originem, aliosque Patres, ut & *in Teſtamento XII. Patriarcharum* apocrypho, inter monumenta orthodoxa, extant,

tant, atque illud inprimis insigne, quod post Scaligerum & Kircherum exhibet D. Bangius, satis demonstrant, è quâ figlinâ prodierit vas tàm pollutum. Nec mihi dubium, ex occasione Prophetiæ Henochi, quam *ex traditione* allegat. S. Judas Apostolus, confictum fuisse à Gnosticis, Simonis Magi asseclis, quorum hoc studium fuit, ut Doctrinam cum Magiâ, Christum cum Beliale conciliarent. *Hic, ajebant, est ille Henoch, qui primus hominum placuit Deo, qui primus literas didicit, qui primus descripsit signa cœlestia, mensiumq; conversiones*, ut in Catenâ Pentateuchi Franc. Zephyrini ex Theodoreto. *Mera mapalia!* οὐδὲν ὑγιές. *Et mendacem decebat esse memorē*, quod dicitur. Nàm eadem omnia Adamo & Sethianis tribuunt iidem. Pontificii Interpretes mirè perplexantur. *Mendoza in libb. Regum Proœm. Annot. 2. Sect. 2.* cùm dixisset: *Sacram historiam à Mose editam, non modò inter profanos, sed etiàm inter sacros libros, esse antiquissimam*, num. 47. mox cùm ad objectionem de libro Henochi responderet: *Fateor, inquit, eum aliquid divinum scripsisse cum D. Au-*

gustino. At *Cornelius à Lap, in Comm. Epist. Judæ*: Henoch, *inquit*, fuit Propheta, & ea, quæ citat hîc Judas, prophetavit vivâ voce; quæ vel traditione majorum accepit Judas, vel ex libro sivè ab Henoch, sivè à Nohâ, sivè à quo alio, qui prophetias Henoch collegit, conscripto. Jam *Estius*, cùm sciscitatus esset; *quomodò non interierit ista Prophetia in diluvio?* respondet, *potuisse conservari à Nohâ in arcâ, ut visum Tertulliano: addo, inquit, potuisse etiàm exstare lapidi insculptam*: tùm verò postquàm docuisset; ea quæ Patres, de Angelorum cum filiabus hominum libidine, ex Henochi libro allegant, *apocrypha esse, & mendaciter conficta, à quopiam hæretico vel fabulatore, qui librum titulo Henoch ediderit*; concludit: *Hinc postremò disce, literarum inventum antiquius esse diluvio*, &c. Talia tantùm exposuisse, refutâsse est. *Tertullianum* turpiter deceptum fuisse, quod librum Henochi apocryphum venditârit pro vero & Canonico, omnes consentiunt. *Augustinum* errâsse ipsa eius verba indicant: *Scripsisse nonnulla divina Henoch, septimum illum*
ab

ab Adam, negare non possumus; cùm hoc in Epistolâ Canonicâ Judas Apostolus dicat. At ubi dicet, scripsisse? Ludovicus de Marche *in Apologiâ pro Constitut. Innocent. X. R. P.* contra Jansenitas, ad objectum Augustini nomen, *q. Ajacis scutum*, hoc inter alia respondet: *Cùm ille Pontificum Rom. oraculis careret, scribit de se ipse*, l. 4. de Trinit. in Proœm.; *cor suum, ut pote humanum, figmenta multa parere*: eiusmodi esse; *quod Angeli sint corpore, quod nefas sit Christianis interficere infideles, mortem intentantes; infantes etiàm baptizatos salvos esse non posse, nisi percipiant Eucharistiam*, &c. Deniq; in re tanti momenti, non patiar me abduci à communi sensu fidelium, de antiquitate Mosaicæ scripturæ, conjecturis vix verisimilibus: in quibus adstruendis, ita videò à lineis veri passìm aberrare defensores, ut *Camelum*, quod dici solet, *saltantem* exhibeant.

D. Bangius cùm librum Henochi diligenter tefutâsset, tandèm tamen concludere non dubitavit; *non tamen propterea Henocho, omnem scripturam vel*

 scul-

ſculpturam literarum antediluvianarum temerè adjudicandam eſſe : Quid ita? *quoniàm*, inquit, *inter Adami poſteros fuit, qui duabus columnis ſua inventa inſcripſerunt.* Quænam, obſecro? magni oportet æſtimâſſe, ac meritò magni facienda fuiſſe, quæ æternitati ſanctiſſimi illi viri conſecrare, & in mundum usq; alterum propagare laborârint? cur *ſua inventa*, & non potiùs *DEI* de reparatione humanæ ſalutis *oracula?* cur non caput illud Fidei poſt lapſum præcipuum, *columnam & firmamentum veritatis* : Quod *DEUS ſit*, *& remunerator futurus ſit colentium ipſum?* Scientiam rerum cœleſtium, *ait Joſephus*, conſecuti, ne inventa ſua ex hominum memoriâ perirent, ſcientes ex Adami prophetiâ, duplicem Mundo inſtare interitum, alterum per aquam, alterum per ignem; duas excitaverunt columnas, alteram lateritiam, alteram lapideam, ut ſi hæc deleretur, ſuperſtes eſſet illa, &c. At quantò prudentiùs ſabulator *Beroſus* Annianus : *Venturam mundo perditionem multos Sethi poſteros prædicâſſe, & lapidibus incidiſſe* : Optimè Goropius

pius Becanus l. 1. Hieroglyph. *Dignam nam scil.* inquit, *piis viris curam audimus, dùm magnâ sollicitudine hoc agitur; ne astrorum cursus ullâ unquàm ratione perdatur, quo nihil est, quod sui ipsius cognitionem faciliùs & certiùs queat tueri! Si bene res omnes expendissent, hac curâ Soli & Lunæ, qui cæterorum siderum reversiones metiuntur, relicta; hoc omni studio contendere debuissent, ne Oracula de generis humani per Christum salute, apud posteros ignorarentur. Diluvium autèm futurum legimus Noacho primum à Deo fuisse revelatũ, & eius scriptoris, qui hoc prodidit, tanti facimus autoritatẽ, ut eos, qui diversa tradunt, aut nihili, aut minoris nihilo æstimemus. Bene igitur valeat Josephus cum suis columnis: nos interìm Mosen seqnamur, ne tàm sinistram, de Sethianorum piis animis, concipiamus opinionem; ut majorem Astrologiæ, quàm Religionis & vaticiniorum, à majoribus editorum, rationem atque curam eos habuisse dicamus.* Hæc ille. Nec judicare aliter possunt, quotquot DEUM amant, & Christum eius! Ego quantò magis considero, tantò miror magis magisq;, fabulam tàm ineptã ulli eru-

ditorum potuiſſe probari. Quis conceſſerit Judæorum hiſtorico, ſanctiſſimis illis viris *hanc primam & præcipuam fuiſſe curam*, σοφίαν, τὴν περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν; ſcilicet,

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primùm;
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit!

Quis poſteà Prophetarum, quis Apoſtolorum fuit Aſtrologus? Genethliacus? Cainitarum potiùs hæc ſtudia fuêre, per quæ in Magicam illam paullatìm ἀστρολατρείαν delapſi ſunt. Quantò præclariora ſunt, quæ columnis ſuis, ad erudiendos agricolas, inſcribi per compita curavit *Hipparchus, Piſiſtrati filius*? illa ſcilicet: *Perge, quæ juſta ſunt, curare: Amicum ne decipias*, & id genus alia, *apud Platon. in Hipparcho*. Alia longè alia fuêre Patrum iſtorum ſtudia, quæ neque Moſes reticuit in hiſtoria Enoſi, Henochi, Lamechi, Noachi; & præter publica ſacrificia, fide in venturum ſemen peracta, ipſa quoque eorum uomina indicant, *de quibus Pelargus in Geneſ. & Dn. D. Waltherus*

in

in Offic. Bibl. Jàm *de Adami oraculo* conficto, ubi vola aut veſtigium? primus de judicio Domini publicè concionatus eſt Henoch; primus de diluvio Noah. Et quæ ratio fuit *duarum diverſæ ſtructuræ columnarum?* annon, experientiâ teſte, utraque æquè vel durare poteſt tàm in diluvio, quàm in incendio; vel fatiſcere? aut quî factum eſt, ut lateritiâ in cataclyſmo quaſi colliquefactâ, non labefactata fuerit lapidea? Denique ſi hæc uſque ad Joſephi tempora *ſuperfuit in Syriâ*, cur locum ubi fuerit non conſignavit? cur nemini viſa, nemini memorata? neque repertus fuit uſpiàm, qui Sethianorum divina reperta inveſtigaret, orbiq; traderet? Mihi hæ Joſephi columnæ eodem habentur in pretio, quo illæ Nohæ, apud Joh. Annium in Beroſum; quo Iſidis & Oſiridis apud Diodorum; & quo, ut propriùs accedam, fabuloſæ illæ de Sethianorum libris, ac monumentis aliis, traditiones. E Valentini Æonum Doctoris Scholâ prodiernnt Gnoſticorũ quaſi myrmecia, *Cajani, Abelitæ, Sethiani,*

Archontici: hi fabulabantur Sethum à virtute supernâ, boniq́ue DEI ministris Angelis, raptum in cœlum, didicisse; τὸν κοσμοποιὸν θεὸν non esse eum, cui servire debeat bona mens; sed etiam esse ἀκατονόμαστον δύναμιν, τὸν ἄνω ἀγαθὸν θεόν. Hæc portenta probatum ibant libris, quos alios Sethus ipse, alios eius filii septem conscripserint. Sic Gnostici quoque inter plurima apocrypha πολλὰ βιβλία τοῦ Σὴθ suppofuêre. At Serenus apud *Cassianum collat. 8. cap. 21.* aliam habet traditionem: *Sethum naturalium rerũ noticiam, paternâ quasi hæreditate acceptã, posteris commisisse: hos in deterius datos præcipites, curiosas maleficorum artes, Magicasq́; superstitiones instituisse, Dæmonasq́; pro DEO venerari docuisse, editis etiàm libris memorialibus: Eorum librorum cùm nullum Chamus, artibus illis sacrilegis infectus, vetante patre & piis fratribus, secum in arcam diluvii tempore inferre posset; studiose id genus nefanda commenta passim metallorum laminis, ac durissimis lapidibus insculpsisse: ita conservata fuisse.* De hoc Chamo *Petrus Comestor in Histor. Scholast.* Geens. cap. 37: *Ninus*, inquit,

quit, *vicit Cham, qui regnabat in Bactriâ: is dicebatur Zoroastres, inventor Magicæ artis, qui & septem liberales artes, in quatuordecim columnis scripsit: septem æneis, & septem lateritiis, contra utrumq́; judicium, vel diluvium, aquæ scilicet & ignis.* Tale est, quod fictitius Berosus habet: *Noham multa naturalium rerum secreta mandâsse literis, quæ Solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendent, &c.* Ego verò miror & indignor, inter tot ante Mosen jactatos libros, ne unum quidèm citari, qui salutarem DEI doctrinam contineret: omnes vel profani, vel planè Magici sunt. Ergò literæ aut Diaboli εὕρημα sunt, & ad solas olim veritas artes æternandas adhibitum, indignum diu habitum à sanctissimis illis Patribus, cui arcana fidei, quamq́ue publico præconico propagabant, ratio veræ religionis, committeretur; aut stertuisse oportet interìm tot seculis vigilantissimos Veritatis defensores, quod contra istud vipercum virus, scriptorum Magicorum & Idololatricorum, nulla ediderint alexipharmaca; aut denique extremæ ignaviæ, negligentiæ,

imò perfidiæ damnandi ſunt, quotquot hos ſecuti ante Moſen extiterunt Doctores Eccleſiæ, ſi theſauros iſtos, omnibus mundi opibus pretioſiores, poſteris inviderunt. Et ubi dormitavit interìm ille ἀκοίμητος Providentiæ oculus, quæ de ſacris libris noſtris, quos hominum ſaluti procuravit, Eccleſiæque commendavit, per tot ſecula non paſſa fuit jota unum intercidere? Quid Moſes, quem ut omnẽ non modò Ægyptiorum, verùm etiàm aliarum omnium Gentium ſapientiam calluiſſe iſti autumant; ita eiusmodi ſcripta Patrum latere non potuiſſent; quomodò excuſabitur? quod talia in univerſum omnia celârit, ſuppreſſerit, fortè compilârit, & ideò in manus Eccleſiæ ſecuturis ætatibus venire noluerit? Apage blasphemias, & cum iis totam hanc Diaboli librariam officinam, ex quâ illæ cum ipſo Atheiſmo hâc mundi fæce prorupe-
runt!

Sectio 4.

Παραλειπόμενα. Sibyllini libri.

Quod superest, ne quid intactum sinamus, paucis expeditum dabo. Augustinus l. 18. de Civ. DEI cap. 39. negans, *Hebræas literas à lege cœpisse, quæ data est per Moysen; Moyses*, inquit, *in populo Dei constituit, qui docendis literis præessent, priusquam divinæ legis ullas literas nossent. Hos appellat Scriptura* γραμμάτων εἰσαγωγεῖς, *literarum intraductores*, &c. De iisdem in Exodum Quæst. 69. ad cap. 18. ℣. 25. [ubi Moyses dicitur *constituisse Principes Populi, Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos*:] Idem, vel quisquis est, hæc habet: *Quos dicat Moses* γραμμάτων εἰσαγωγεῖς *post Decuriones, non facilè sciri potest: quoniàm hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nàm quidem Doctores interpretari sunt; ut intelligantur utique literarum, qui introducant in literas, sicut resonat Græcum vocabulum.*

Hic ſanè ſignificatur, quod ante legem datam habuerunt Hebræi literas: quæ quandò cœperint eſſe? neſcio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noë: atq; indè ad parentes Abrahæ, & indè ad populum Iſraël: ſed undè hoc probari poſſit, ignoro, hæc ibi. Verùm hoc leve argumentum eſt; in quo tria ſumuntur, quæ concedi non poſſunt. 1. *Moſen vocare aliquos literarum inductores;* qui in eius hoſtoriâ nulli ſunt, *cùm*, ut obſervavit Bonfrerius, *nihil ſimile habeatur in Hebræo.* 2. Eorum officium fuiſſe, ut docerent literas, *in quo Auguſtinum ſequitur Pererius in cap. 2. Exod. Diſp. 7. ſed quid judiciis cum iis qui docerent literas, non ſatis video*, ait Bonfrerius. Qui Deuter. 1. ℣. 15. à LXX. dicti ſunt γραμματοεισαγωγεῖς, Hebræo ſermone שטרים *Schoterim*, à Vulgato *Doctores, vel & Magiſtri*, nou ſcribæ; ſed præfecti aut præpoſiti Judicum, aut eorum conſiliarii fuerunt, de quo Idem plura. Denique 3. Hos à Moſe, conſilio Jethronis, conſtitutos fuiſſe ante legem: *At temporis anguſtiæ non patiuntur, ut Jethro ad gene-*

rum

rum Mosen ante legem datam venerit, ut ait Salianus, & pluribus probat *in Epit. & Annal. ad* A. M. 2544. num. 241.

De Libro Bellorum Domini, quem Moses citat *Num. 21. ℣. 14.* ut appareat antiquiorem fuisse, egit ex nostris Clarissimus Theologus *Dn. D. Waltherus in offic. Bibl.* & post alios Pontificios, *Mendoza in 4. libb. Regg. Annotat. Proœm. 2. Sect. 2. num. 48.* conveniunt uterque in eo, quod *librum* ad testimonium vocet Moses, non *narrationem* aliquam; & quod ille jàm *deperditus* sit: negat autèm D. Walther. *Canonicum* fuisse, secutus *August. in Quæst. 42. in libr. Numer.* contrà fuisse affirmat ille; non tamen alio argumento, quàm *quod Moses, ad confirmandam rem, de quâ agebat, non potuisset uti testimonio alio, nisi Canonico.* Quasi in historiâ nefas fuisset, testem producere politicum, cuius fides publicè approbata esset. Etsi non negemus; fortè *divinum* fuisse istum librum, ac proindè autoritatis irrefragabilis: *Canonicus* tamen non fuit: quia periit: idq; ideò, quia Ecclesiæ non commendatus, non in canonem relatus,

latus, nec in capsâ S. librorum ad Arcæ latus aſſervatus fuit. Verùm hoc nihil attinet, ad eam quæſtionem, de quâ agimus. Ergò *Mendoza*, memor propoſiti ſui, de antiquitate Moſaicæ hiſtoriæ; conjicit *à Moſe ſcriptum hunc librum, & quidèm poſt Geneſin: cùm & naturæ & doctrinæ ordo poſtulârit, ut priùs Mundi exordia, quàm Patrum certamina ſcribere aggrederetur.* Hoc ſi verum eſt, ut eſt ut veri ſimile, manet immota ſententia noſtra: Sin minus; non conſequitur tamen: liber aliquis antiquior fuit *libro Numerorum; quem circa finem commorationis in deſerto editum ex eo conſtat, quod ibi mors Aaronis, & alia, quæ ultimo anno peregrinationis in deſerto contigerunt, recenſentur;* Ergò liber ille Moſe & lege datâ antiquior fuerit? non minor controverſia eſt. Ac *quàm facile eſt argumentari.* In libro Jobi cap. 19. ℣. 23. mentio fit Scripturæ & literarum: *Quis mihi tribuat*, exclamat, *ut ſcribantur ſermones mei?* Ergò hæc fuerunt ante Moſen: *Tàm in proclivi eſt hoc invertere, & concludere:*

cludere : Ergò liber iste non ante Mosis historiam conscriptus fuit. Fuerit Iobus Mose antiquior, quod adeò tamen exploratæ certitudinis non est; incertum tamen manet, quàm mox ab excessu eius, hæc eius historia cònscripta fuerit? Qui calculos accuratè posuisse videntur, statuerunt; *Jobum extremum diem obiisse, anno Mosis vel octogesimo primo, ut Saliano placet; vel proximè sequenti, ut Pererius & alii maluerunt; sequeturq; Mosen annis duntaxat octo & triginta Jobo superstitem fuisse*, ait Nicolaus Abramus in Pharo Scripturæ lib. 9. sect. 22. Potuit ergò, in peregrinationis longæ tædio, hæc Jobi historia à Mose consignari circa ultima vitæ: quam à socero Jethrone, vivo fortè teste, acceperit. Nec Moses peccavit, aut quicunque scriptor fuit, quod in eo sermone παθητικῷ, quem Jobo tribuit, optanti, *ut verba sua ad perpetuam memoriam scribantur*, usus fuit usitatissimâ προλήψει poëtica: nàm *ethopœia illa Jobi & amicorũ merum poëma & drama sunt*. Videantur exempla

exempla nobilium autorum, etiàm sacra, huius *anticipationis*, apud *Vossium lib. V. Instit. Rhetor. cap. XI. sect. VII.* Quanquàm hac ipsâ excusatione non est opus, si I. Torniellum audimus: *Quare*, inquit, *considerandum est, nùm fortè probabilius sit opinari; Mosen didicisse historiam Job filiis Esau, eiusdem Jobi posteris; quandò per Australis Idumææ fines cum Israëlitico populo transibat: & adhuc tanti viri, non multò anteà defuncti, fama recens erat: eandemq́ historiam, DEI monitu, literis mandare non distulisse, tùm ad æternam rei memoriam, posterorumq́ ædificationem; cùm verò maximè, ut populum suum ad sustinendas alacriter deserti illius ærumnas ac labores, sperandasq́ eis terræ promissæ commoditates, tali ac tàm insigni recentiq́ exemplo animaret*, ad Ann. M. 2503. dùm 2. addamus, &, ut cum Jurisconsultis dicam, *præsumamus*; Genesin Mosaicam priùs, mox post exitum latamque legem, conscriptam, Jobo adhuc viventi in manus venisse: quâ excitatus ipse, commentarium libellum de rebus suis concinnârit, quem posteà Moses, poëtico rhetoricoq;

coque ornatu veſtitum, emiſerit. In quâ conjecturâ duo ferè certa ſunt, plurimque conſenſu firmata: quod nempè *Geneſis*, & quidèm non in Midianitide â Paſtore; ſed *in Deſerto* à Populi jàm Duce Moſe, primus librorum eius, *fuerit compoſita*; & quod *Job ipſe ſummarium quoddam* ſuæ calamitatis ſuorumque certaminum, *conſcripſerit*, quâ de re *in Volum. 2. S. Analector.* ubi de Hiſtoriâ Jobi plura: unum tantùm ſumo; *Jobum annis* non adeò multis, XXXVIII; ſed paucioribus, *fortè tantùm XXVIII. ante Moſen è vitâ exceſſiſſe*, atque adeò Geneſin, intra hoc decennium, per deſertum, miraculo rei, & lenocinante cupiditate novitatis, longè lateque divulgatam, Regi, aut certè Principi, Idumææ tàm vicinæ, non fuiſſe ignoratam.

Neque poſthæc aliud quid recordor, quod Moſaicæ literaturæ antiquitati poſſit, aut ſoleat opponi. *Eraſmi Schmidii Profeſſoris Witebergenſis*, de Græcis literis optimè meriti, ſingularis opinio eſt; Sibyllam Erythræam, Japheti uxorem, oracula ſua Græca, ſeculo fortè uno vel altero poſt Turrim Babylonicam, lin-

P gua

guarumque divisionem, edidisse. Sic necesse esset, ante legem datam Mosi, aliquot jam seculis extitisse illa oracula: ut tamen scripta extiterint, non est necesse. Quare poteram hanc opinionem, nihil mihi obfuturam, missam facere. Dissimulare tamen non possum, eorum nec accedere sententiæ; qui hæc *Sibyllina carmina*, quæ hodiè extant, *libris octo comprehensa*, de quibus quæstio agitatur, maximâ sui parte *supposititia esse* censuerunt. Certè qui negaverit, pleraque post Prophetas, post Evangelium, excogitata; verbotim ex S. literis delibata; ille idem solem lucere mero meridie negare audeat. Tractaverunt hoc argumentum *Casaubonus* contra Baronium, & vindex eius *Capellus* contra Rosweydum, ut & *Opsopæus*, qui Sibyllina Oracula elegantissimè edidit Parisiis anno 1599. in præfat. ad Lectorem: dixique ipse aliquid *Volum. 2. Analector.* ubi de Prophetis: ut plura nunc quidèm adjicere, supervacaneum videatur.

Hæc pio Zelo bonoque studio, horis subcesivis, inter varias muneris mei occupationes, meditabar, pro antiquitate Mo-

Mosaicæ Scripturæ, imò pro gloriâ Dei, & Verbi eius veritate. Nàm antiquissimum quodque verissimum: Quo in opere si animum non usque quâque, ut debui, aliis curis distractus, intendi, apud bonos & eruditos veniam mihi paratam confido: à quibus ea, quæ nescio, doceri; & ubi erro, in viam reduci quâm maximè cupio, acopto. *In omni malo punico*, ajunt, *oportere aliquod esse granũ putidum; & in optimâ segete aliquod spicum nequam. Nemoq; reprehensus est, qui è segete ad Spicilegium reliquit stipulam:* & ut Varronis aliâ utar excusatione, *non mediocres tenebræ in silvâ, ubi hæc captanda: neq; eò, quo pervenire volumus, tritæ semitæ: neq; non tramitibus quædam objecta, quæ euntem retinere possent.* Morosos illos, morosque, quibus omnia carpere mos est, etiàm quæ non intelligunt; qui quorum non capiunt similitudinẽ, cupiunt simultatem; inprimis Vulpeculas illas, quæ inter miriones pueros suos, caudam suam magnificè jactant, ut Octavi Sapientum è Cœlo cecidisse videantur, nihil moror. Ave, mi Lector, & fave!

GRATIA TIBI, Ô DOMINE JESU!

Epilogus ad Candidum Lectorem.

Dùm has familiares meas Exercitationes relegerem, quædam ſubindè occurrerunt, quibus vel lucis aliquid affundendum, vel etiàm cenſoria virgula apponenda eſſet. Eorum aliqua ſubnotare operæ viſum eſt pretium: Cætera, totamque hanc cauſſam, candido tuo judicio permitto.

Pag.11. Ninum fuiſſe *Nimrodi filium*, recitavi, non affirmavi. Ego enìm Ninum Nimrodi imperium Babylonicum evertiſſe, & ſic à Patre Belo, ſivè is Moſis Aſſur fuit, ſivè alius, inchoatam Monarchiam Aſſyriorum condidiſſe, doctis adſtipulor. Quâ de re in *Iſagogâ Hiſtoricâ & Chronologicâ*, ſi Deus volet, & *in Tyrocinio nuper edito ad* A. M. 1843. in Monarchiâ prima.

Pag.

Pag. 65. Arimaſpiam apud *Hyperboreos* collocavi, ſecutus eos autores, qui unam gentem fuiſſe crediderunt, *vid. Dalechamp. ad Plin. l. 4. cap. 12. ſub finem.* Neque diſtinxit, ut apparet, *Dionyſius Periegetes*, qui ad mare glaciale & Cronium ſivè Saturnium dictum, poſuit ℣. 31. *ubi vide Scholiaſten Euſtathium, Herodot. 4. Diodor. 17. &c.*

P. 73. & 165. Docui, Ægyptios Mentem illam æternam dixiſſe λόγον τρισμέγιστον, quod nomen eius effari religione quâdam prohiberetur. Vetus hæc religio, à populo Dei peculiari orta, & in omnes ferè gentes nationesque propagata, in ſuperſtitionem vertit. *Vide de Nomine Dei*, Exod. 3. ℣. 13. 15. Judic. 13. 17. 18. &c. Judæorum ſententiam, *apud Galatin. l. 2. cap. 10.* Notum quâ religione abſtineant pronunciare τετραγραμμάτον: quod ſimpliciter *Hasſchem & Schem hammphoras* vocant, Nomē per excellentiam. Sextus, vel Xyſtus Pythagoricus, ex ſcholâ Hebræorum, in quâ Pythagoras & Plato eruditi, breviter: *Nomen Dei ne quæras: quia nec invenies, &c.* in

Enchirid. Interp. Ruffino. Deus, Maximo Tyrio Platonico, ἀνώνυμος Νομοθέτης, *Legislator sine nomine*, Dissertat. 38. *Eius tot nomina, quot linguæ: quem enim seipsum dici velit, scire non possumus*, Autor Panegyr. Constantini. *Nomen DEI ne quæras; Deus nomen est illi*, S. Cyprian. de Idolor. Vanit. Sed de his alibi. Denique & illud observo, antiquissimos Ecclesiæ Doctores ideò Filium DEI λόγον appellari credidisse, quod λόγου nobis sit autor. Quare non adeò malè dixit Jobius de Verbo Incarnato lib. 3. cap. 17. apud Photium: *Conveniens fuisse, incarnari Dei Filium, ut λόγος auferret ἀλογίαν, per peccatum in nobis exortam*. Quod idem est, ac si dixisset: Decuisse, ut ipsa Hypostatica Sapientia veniret in mundum; & medelam opemque ferret nostræ stultitiæ, &c.

P. 77. Græcos cùm negavi, ullum Hermeticum scriptum se habere gloriatos, *de antiquioribus* intelligi volebam, uti mox explicavi. Ab Ægyptiis demùm & serò, acceperunt, quicquid à Mercurio in literas relatum crediderunt.

P. 91.

P.91. Quâ ætate vixerit *Manethos?* docet Plutarchus de Iside & Osiride, qui Serapidis cultum, id est, Plutonis, commentis suis promovisse *Rege Ptolemæo Sotere* persuaso, indicat, & alia quædam ex Diabolico Scriptore allegat. Fuit ille Ptolemæus Lagi Filius, primus post Alexandrum Ægypti Rex, Philadelphi Pater.

P. 111. Technatis, qui Bocchorim genuerit, quartum Ægypti Legislatorem; undè irrepserit? recordari nequeo. *Diodorus l. 1. cap. 45.* Gnephachtum vocat, ex versione Rhodomani. ubi vide.

P. 183. In Assyriacâ historiâ *Semiramidem* invenio, geminam. Prima *Nini uxor* fuit, regnavitque post maritum A. M. ferè 1960. ante Exitum Israëlitarum & Mosen Ducem, annis circiter 490. Altera fuit proprio nomine *Actosa, Belleparis Filia*, qui regnavit anno M. 2557. post mortem Mosis 64. Hanc cum priore confudisse videtur Porphyrius; vide quæ breviter annotavi *in Tyrocinio Histor.* ad primam.

Pag.

Pag. eâd. Olymp. 220. ſub Imp. Trajano, Anno Dom. 101. & deinceps, nullus *in Faſtis* apparet Conſul, neq; *Severus* neq; *Herennius*. Sed Ann. Dom. 171. *Severus & Herennianus* inveniuntur, juxta calculum Calviſii, *de quibus Onuphrius lib. 2. Comment. ad Ann. U.C. 924.*

Pag. 185. Chriſtianorum ſimplicitas & Patientia fecit, ut *aſini, aſinicolæ*, & ipſe Deus as Dominus noſter Deus *aſinungularius, aut aſiniceps*, dicerentur; res nota ex Tertulliani Apologet. &c. Hinc à maledicentiſſimo & mendaciloquentiſſimo Philone Biblio confictum Sanchoniathonis nomen videtur. Judicent boni & docti.

P. 222. Quo tempore vixerit *Job*, non liquet. Si tamen certum eſſet, eum fuiſſet *Jobab*, qui inter Reges Idumes numeratur, Gen. 36, ℣. 33. & ſi æquè conſtaret, ab ipſo Moſe profectum eſſe laterculum illum Regum, qui l. cit. habetur, diu ante Moſen obiiſſe, conſequens eſſet: Sed neque prius evidens eſt, & poſterius omninò fieri non potuit. Inſertum eum catalogum Regum Idumæorum poſt

tem-

tempora Regni Iſraëlitici, manifeſtè patet ex ℣. 31. citati capitis Geneſ. 36. & conſentiunt plerique Interpp. *Bonfrer. Corn. à Lap. Janſen. &c. vide Reineccii Hiſtor. Jul. P. 1. de Regno Idumæo.* Denique quicquid ſit, ex incertis certi quid colligere fruſtrà eſt.

Erant & alia, quæ explicationem videbantur deſiderare, ſed ego, aliis interpellantibus curis, hic ſubſiſto, & id genus pio cordatoque lectori permitto: qui ſtudium, bonum profectò, non carpet, ſcio; etſi oneri ſuccubuerim fortaſſis, aut opus approbare nequeam ſatis Cenſoribus moroſis.

Unum ad huc Te volo, mi Lector, ut menda, quæ poſt diligentiam Correctoris, oſcitantia aut feſtinatio Typothetarum reliquit, tollas. Pluſcula ſunt, ſed pleraque minuta: quæ tamen ne remorentur legentem, pleraque noto:

Lege p. 6. l. 22. evenerit. p. 7. l. 18. Traditionem. p. 9. *Magos*, pro, magnos. 10. l. 1. hominum. 14. l. 12. Ariſtot. & aliis. 17. l. 3. Fabulam. ibid. l. 20. fulmineum, & fulmen. P. 22. l. 16. ab alterutris mutua-

ti.29. l. 9. olim Mosi Jannes. mox : quendam. 30. l.16. ille, & l. 19. usque. 33. l. 22. Persis, ne cadar. 37. l. 14. novamq; 38. l. 15. contraria. 40. l. 3. altor. ajebant. ἐυκταῖα. 43. 9. Cainitis. 44. Sole. Secuturâ. 47. expeditionibus. 49. l. 4. exilii. 50. l. 2. Seductus. Turicolæ. 54. l. 11. initium: alterum de caussâ. 60. l. 3. Teletarchis. ibid. στρόφαλον, & loro, pro, loco. 61. nomine. 53. adducerent. experirentur. 78. Janum. 80. Quicquid de Mercurii. 83. lin. 1. Apollonius, l. 4. maximè. 85. l. 11. præfuisseque 86. l. 5. Lamechidæ. 87. l. 17. annum. 88. l. 1. vidisse. 91. ἀσύγκλωστα, 94. l. 1. ille. certiorem. 95. lin. 8. noluerint. 96. Heroum. 98. l. 17. Eat nunc. 100. tempora. 101. Ægypto. 102. l. 1. novem, pro, septem. 103. l. 6. principatu. 104. l. 9. Sic, pro, Si. 106. l. 3. spero, haud invit. 107. antepen. coaluerunt. 109. Thebaidos incolæ, expertem. 110. l. 17. ignara. 111, l. 3. fabulâ. Mnevis, quartum, 112. ult. aversis. 113, mendacia. 116. l. 13. fuit, pro, fecit. 122. l. 14. textilium. 125 pessimi, pro, possimi. 128. l. 14. de quibus. l. 23. His, pro, hic. 130. ludibria. 131. l. 4. averteret.

134.

134.l.7.interveniret, & antepen.nec,pro, noc.135.l.8. occupârat. l.15. gnari, l.20. habeo.138.l.10.ſtudia.l.penult.oppoſitæ. 141. l.7. Ad hos.142.ſuppoſititios. 145. l.7.potuerit. l. 11. Ideis, pro, Judæis. 156. Heſiodus efferant.157. l.4. neque aliter hab. l. 9. haberent. 167. l. 23. ſanarent. 170. l. 3. videntur. 174. l. 9. Veſtigium. 179. l. 8. abit, quod ex. 182. l. 19. Veritatis. 183. l. 6. Acciaolo. 188. l. 2. fabulas. Sardianum. l. 15. mutaverit, l. 16. decet. 190. l.ult. quo temp. 191. l. 6. diſputant. 192. l. 8. Actibus. 193. l. 13. conſpirant. 194. l. 11. neque partium neque grad. l. 13. nec natur. 195. l. 13. citra. 196. l. 2.3. habitudinis, hebetudo. 197. l. 17. quâdam, l. 21. potuerit. 200. l. 5. quâ, l. 22. donec concepto. 201. l. 18. tota, pro, nota. 204. repertis, 205. nequiverunt, ducitur, ſummâ. 206. lin. 7. tot, pro, ut. l. 9. eſſet neceſſe. 208. l. 13. conſecranda. Origenem. 209. l. 9. S. Doctrinam. 211. l. 3. dicit. l. 11. corporei. 212. l. 2. abjudicandam. 217. l. 16. vetitas. l. 19. præconio, l. 21. committerentur. 220.

hiſtoriâ,

historiâ. 222. l. 11. utique, pro, ut. l. 19. adde: De Jobo non minor. l. 20. At, pro, ac. p. 224 l. antepen. Venisse. Alia minutiora candori tuo relinquo. Salve, mi Lector, & ora mecum: *Sanctifica nos in Veritate, Deus! Sermo tuus Veritas est.*

Index rerum quarundam memorabilium.

Ara-

Her-

Mne-

Semi-

SOLI DEO GLORIA.

SPICI-

SPICILEGIUM
Post
MESSEM,
longioris epistolæ instar,

PL. REV. AMPLISSIMO, CLARISSIMO, ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. JOH. HENR. URSINO,
Ecclesiæ Ratisbon. Superintendenti &c.

mittendum, his jussus adjecit

CRISTOPHORUS ARNOLDUS, P.P.

POstulatus à Te jam diu, VIR PLURIMUM REVERENDE, ATQUE EXCELLENTISSIME, uti, relectis Exercitationibus Tuis (quæ morsos profectò ungues sapiunt) qui sit meus sensus de *auctoritate Mosis* aliisque, ostenderem; nullus equidem potui, quin tandem reculas meas,

varia olim lectione observatas, Tecum communicarem. Epistolam primò mittere animus quidem erat; sed cùm ita excresceret, ut implere utramq; manum posset, typis hîc exscribendam curavi, quîi commodiùs abs Te legeretur. His autem, quæ *ex ordine pagellarum* ad consummatissimas Exercitationes illas enotavi, tantùm abest, ut refragari Tibi videar; ut potiùs in partem Tuam è vestigio transeam; & quia vocem meam (ritu pariter ac verbis Ephesinæ secundæ utar) necessariam non habes, quamvis clamare possim; solùm manum extendam. [*Phil. Berterius Pithanon Diatr. I. cap. VII.*]

Antè verò, quàm rem ipsam aggrediar, nonnulla mihi (neq; enim continere, & reprimere me à libertate dicendi queo) de caussis impiæ ac nefariæ litis hujus præfanda sunt; ut isti, qui talia etiam vulgò levioris momenti, aut βολίτου δίκην esse censent, facilè intelligant, hoc fieri & oportere, & opus esse; ut præfracta vitilitigatorum petulantia redarguatur, refellaturq;.

Misera

Misera hac seculi, valdè disputacis, tempestate primò se nobis offert prurigine & punctionibus, velut aculeis, animum vexans *Curiositas*; de qua *Martinus Navarrus*, auctoritatis apud eos (dicente *Lollino*) habens perquàm plurimum, qui Tribunalia sacra insidentes, expiantibus se à culpis aures admovent, in *Enchiridio*, ubi stemmata genealogica non incuriosè pertexit vitiorum: *Vanagloriæ natarum esse maximam* Jactantiam; *huic parvo nascendi intervallo subire proximam* Curiositatem, *intellectum juxta, ac sensus impellentem ad nimiam rerum illicitarum scientiam*. Quam definitionem, à *Martino* profectam, nobis suggerit *Aloysius Lollinus*, Bellunensium Episcopus, in *Episcopalium Curarum Characteribus*, evulgatis à *Donato Bernardio*, Tit. de *Curiositate*, *fol. 126*,

Dein ψυχρότης literionum quorundã secunda de tribus est; quam (si fides *Gretsero*) in Criticorum principe, *Jano Grutero* perstrinxerat olim Phil. Pareus, his verbis: *Unum Apuleji, aut Petronij effatum, pluris facit, quàm infinita Servatoris nostri περιγγέλματα. Notus quippe est ei* ἀθεϊσμός,

& in sacra religione ψυχρότης, *frigus*. Nempe sororium iſtud jugum, Jactantia & Curioſitas, blandula materculæ *Vanagloriæ* deliciola, haud rarò in familiam iſtam nubunt; cui eroſæ potiùs, quàm ſacræ literæ cordi eſſe ſolent. Hinc, elegans ſtirpis ſobolesiſta paratur, cui nomen quotidianum eſt, ἀθεϊσμός. De ſua-vi hac progenie *Gretſerus* poſt paullò: *Ne tamen ad atheiſmum tendant, ut plerunq; ſolent iſti literiores, qui vel nihil credunt, vel novam fidem ſibi architectantur*. Vide ſis eum *lib. I. Rer. Var. cap. IX.* Neq; injuriam inde accipient Philologi, qui pia mente ſacros adeunt Codices, & pietatis immobilis erga Deũ ſunt. Memini jam quæ admirandæ pietatis pariter ac eruditionis Vir, *Joh. Fredericus Gronovius*, in literis aliquando ad me ſcripſerat: *Conſtitui*, ait, *vita potiùs ac ſententiis pietatem, & ſi quid in ſacris profeci, oſtendere; quàm quæſtiones, quas ſui fori eſſe ſe putant, tangendo oſtentare*. Hæc pius ille Philologus. Adde his tertiò fœdũ ac nefaſtum iſtud malum, ſeculi huj9 inſanabi-

lem

lem perniciem; qûi dicam? S. Scripturæ contemtum. Quis enim hodiè, quæſo, è procaci iſtorum cœtu (qui nihil credunt, præter nihil) ſibi aut ſapere, aut ſcire aliquid videtur; niſi *Moſen*, priſca formidine ſacrum Scriptorem, per jocum contemnat; niſi ſacri codicis antiquitati illudat? Ingenuus ac fidelis ille ſacrarum & hiſtoriarum & chronologiæ Vindex, *Georgius Hornius*, *in Diſſert. de vera ætate mundi, cap. XII. pag. 52.* adverſus *Iſaacium Voſſium*, non minus rectè, quàm piè: *Neq; opus erit, fidei Chriſtianæ tàm grave vulnus infligere, & nova arma profanis ſuppeditare, ad illudendum Scripturis ſacris; quæ hactenus in Eccleſia receptæ fuerunt, tanquam authenticæ.* Sed quid multis?

Triceps hoc monſtrum tàm audax ac protervum eſt, ut nil ſinat intactum: Hinc iſta impietatum lerna, quæ, novas indies progignit affanias, inſaniasq;: Hinc homines inconſulti ac temerarii, qui ciconiam vel ipſi Veritati pingere, haud erubeſcunt. Quibus jam ex-

positis, janua, qua volui, in caussam Tuam ingrediar; tempore (ceu vides) non inauspicato: Nam mense *Septembri* Typographus Exercitationes Tuas, *Mosaicæ* velut antiquitatis vindices, prælo subjicere cœpit; quo & *Natalis*, & *Festum*, *Mosis prophetæ*, utraq; in Ecclesia servantur. Mahumedani collocant in mensem eorum *Ramadan*, qui *vernus* est; teste *Calendario Ægyptiaco*, sive Copticitarum Christiano, auctore *Abulaibsan Achmed Calcasendio*, Mahumedano; quod nobis exhibet *Jo. Seldenus lib. III. de Synedrijs veterum Ebræorum*, *cap. XV*. Quantum auguror conjectura, *vernis* quoq; *nundinis* paratur hic liber, ita ut quovis tempore memoria Mosis colatur.

Cæterum, oro etiam bona venia, *Vir summe*, ne molestè feras, dum varias variorum opiniones in *digressionibus*, tantùm recenseo; quibus *si neq; nimiæ sint*, *nec ineptæ*, *venia concedi solet*; judice *Dan. Heinsio*, *lib. V. Exercit. Sacr. ad Nov. Test. cap. VIII.* Quare videamus nunc certas hasce πειρατὰς de

MOSIS

MOSIS

I. ANTIQUITATE. II. LITERIS. III. LIBRIS.
IV. SAPIENTIA. V. LAUDIBUS. VI. CONTUMELIIS.

NAm in Proœmio Exercitationum *pag. 2*, benè aſſeris, *primi omninò libri Scriptorem fuiſſe Moſen.* Miror equidem, ſacræ antiquitatis ſedulum aliàs investigatorem, *Nic. Nancelium*, ſtatim à principio *Præfationis in Davidis Pſalterium*, quam Epiſtolis ſuis ſubjunxit, ita ſcribere: *Literarum Sacrarum ea eſt antiquitas, nullæ ut ante Moſem, aut omninò paucæ extitiſſe, aut extare in priſcorum monimentis perhibeantur.* Longè liberiùs, ac ſatis fidenter pro cauſſa, *Ben. Arias Montanus in Naturæ Hiſtoria, lib. de Prophetia & Prophetis, pag 47.* locutus eſt: *Principio ipſa veri DEI notitia nullo ſtudio, nullóve negotio humano haberi æquè potuit, atq; DEI ipſius doctrina & inſtitutione: cujus cauſa antiquiſſimi primùm vates creati fuere, &* Moſes *poſtea locu-*

locupletissimus divinæ disciplinæ præceptor datus; qui principio altè repetito, PRÆTERITA, PRÆSENTIA, & FUTURA, *quæ hominibus cognoscere expediret, cùm humana, tùm divina, & præsens continuis actionibus docuit; & ad* USUM POSTERITATIS LITERIS & LIBRIS MANDAVIT; *idē promissa divina de humani generis vera felicitate & salute declaravit, idem de fide divinis dictis & promissis præstanda, de obsequio, deq; omni pietatis ratione præcepit; & quibus hæc ritè ac purè coleretur, leges, Deo dictante, scripsit. Idem etiam veras temporum ac rerum historias à mundi exordio ad suam usq; ætatem luculentissimè composuit, ac futurorum seculorum summam vaticinatus præscripsit.* Geminam antiquitatis Mosaicæ rationem *D. Conr. Hornejus*, ὁ μακαρίτης, in *Tract. de Sacr. & Divin. Script. Disp. I. pag.* 35. paucis innuit, sed accuratè: *Probatur*, ait, *veritas doctrinæ Christianæ ex ejus antiquitate, præsertim doctrinæ ac scripturæ Mosaicæ; non tantùm enim hæc* (1.) *omnia scripta Ethnicorum præcedit, sed Moses etiã ipsis* (2.) *Diis gentilium ætate suppar est; ut*

hæc

hæc multis demonstrant Patres. Posteriorem verò rationem magis illustrat *D. Georg. Calixtus* (super quem sit pax!) his usus verbis: *Non tantùm autem initia superstitionum, quas Pagani amplectuntur, nota sunt; sed & Deorum, quos colunt, natales ipsi prodidere. Christiana verò religio, sive, quâ illa inititur religio populi Hebræi, cum ipso homine cœpit. Certè Moses primus scriptorum, quorum opera nostram religionem cognitam habemus, ipsis Diis Græcorum antiquior est. Quam antiquitatem Eusebius Chronico suo, ut doctrinæ veritatem Præparationis & Demonstrationis libris, operosè ostendit.* Verba ejus sunt in procemio Chronici, à Josepho Scaligero conversa: *Hebræorum progenitorem Israëlem, à quo Judaicæ gentis duodecim tribus Israëlis nomine censentur, Inacho, quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, tempore æqualem fuisse, reperi: Semiramidis verò temporibus Abraham vixisse hominem quidem natione Chaldæum, sed tamen DEO acceptissimum; qui primus propheta apud He-*

bræos fuisse creditur: Mosen autem, ut verum fatear, infra horum tempora extitisse, antiquiorem tamen omnibus priscæ Græcorum memoriæ, Homero, inquam, Hesiodo, ipsisq; Trojanis temporibus, Castoribus, Æsculapio, Libero patre, omnibus Heroibus, Mercurio, & Apolline, reliquisq; Græcorum Dijs, mysteriis & initiis, atq; adeò ipsis Jovis gestis, quæ à Græcis memorantur: quorum omnium historiam infra ætatem Cecropis fuisse, Græci crediderunt. Hæc præclarè *Calixtus* è Chronico Eusebii observavit *Disp. de. Verit. Unic. Relig. Christ. th. XIIX.* Omne punctum fert magnus ille *Vossius*, pater, cujus hæc sunt verba: *Neq; enim Græci nominare ullum gengentis suæ Historicum possunt, qui non quintis, & amplius, annos recentior sit bello Trojano A tqui Mosen seculis aliquot antiquorem esse, etiam gentium Scriptores agnorerunt: eosq; inter Apion Alexandrinus, secundum quem Moses Jnachi temporibus vixit.* Addit prætera ὁ πάνυ, Apionem Alexandrinum è Christianis secutos esse

Justi-

Justinum, *Athenagoram*, *Theophilum Antiochenum*, *Tatianum*, *Clementem Alexandrinũ*; atq; adeò è beato illo Patrum choro *propemodum omnes*, qui *ante Eusebium* fuerunt. Itaq; *inter obitum Mosis* (ita calculum ponente Vossio) & *Trojæ excidium* intervallum est annonum (Iↄc ɪxxv. Si verò Eusebium propter valida, quibus sententia ejus nititur, argumenta) sequamur, vixit Moses *temporibus Cecropis*, primi Atheniensium Regis; quibus *Triopas* apud Argivos, *Teucer* in Phrygia imperabat. Atque ita *Moses quadringentis* quidem *annis junior* erit *Jnacho*; attamen *Ilij excidium* Mosaica morte *posterius* erit *annis CCLXXV*. Cæterum, de Sanchoniathone quæ habet, infra videbimus, ad *Exerc. III. sect. 1.* Plinij porrò sententia hæc fuit *lib. VII. Hist. cap. 56.* primum historiam reliquisse oratione soluta Κάδμον τὸν παλαιὸν, *Cadmum veterem*, Pandionis filium, Milesium; sed hunc ipsum vixisse *circa bellum Trojanum*, egregè (ut & reliquam à Græcis jactatam antiquitatem) ventilat heros ille *lib. I. de Hist. Græc. cap. 1.* Quærenti fortè, aut cogitan-

gitanti cuipiam, cur doctriores pleriq; ad *bellum Trojanũ* potiùs, quam ad aliud quidvis Græcorum negotium antiquam historiam referant? optimè mihi respondere videtur *Eusebius Romanus Animadvers. cap. IX.* in lib. Præadamit: *Neq; sanè quidquam*, ait, *antiquius habere se putabant Græci, quàm bellum Trojanum: siquidenim esset apud ipsos vetustius, id omne dubium erat, & incertum.*

Quid? quod ea omnia quæ à Poëtis post tempus istud ἄδηλον, fabularum licentia involuta legimus, ex vero (ut ait *Hugo Grotius*) id est, *Mosi convenienter*, vetustissimi Chaldæorum, Assyriorum, Græcorumq; Scriptores tradidere, ut de *arca Noë*, *hominibus & cæteris animantibus servatis*, *de affectato in cælum itinere*, *Sodomorum incendio*, *circumcisione*, *Mosis ipsius actis*, *de exitu ex Ægypto*, rebusq; similibus. Videatur de his ex professo agens *Grotius lib. I. de Ver. Relig. Christ. (edit. Paris.) pag. 25. & seqq.* Adde etiam notas, *à pag. 232. usq; ad pag. 242.* Huc & ipsa Sinensium traditio de suo *Vitey*, naves, & ascias ad findenda ligna, reperiente pertinet; qua *Noachus* innuitur

tur

tur *arcam*, quæ navis fuit, ſtruens, & ligna exaſcians. Vide *Horn. in Diſſert. de Æt. Mund. cap. XII. pag. 50.*

Quomodo Pythagorici, & hos ſecutus Plato in Timæo, *procreationem* illam *mundi* æmulati, ſint innuit *Joh. Lud. Vives lib. II. de Verit. Fid. c. 7.* De primorum hominum conjugiis talia quoq; obſervavit *Sam. Mareſi, in Refut. Fab Præadamit. Quæſt. III. § 25.* Non ſolùm res antiquas, ſed & vocabula Scriptores profanos à Moſe habuiſſe, ex aliis oſtendit *Euſebius Romanus Animadv. in Lib. Præadamit. cap. IX.* Videatur præterea *Jac. Bolducius lib. II. de Oggio Chriſtiano cap. 2. 3. 4. 5. & 6.* Accedunt antiquiſſimæ leges *Atticæ*, quæ *ex legibus Moſis* originem ducunt; unde & *Romanæ* poſtea deſumebantur, ceu *Grotius* obſervat ibidem, ut & *lib. II. de J. B. ac P. cap. 1. §. 12.* Idipſum operoſè agunt *Guil. Poſtellus lib. de Origin. c. 17. P. Pithœus in Moſaicarum & Romanarum legũ collatione, Lud. Malquytius in Vera JCtorum Philoſophia lib. II. cap. 5. usq; ad cap. 23. Paganinus Gaudentius de Philoſoph. apud Roman. Init. & Progr. cap. CXIV. Joh. Calvinus, aliàs* Kahl / *in Themi-*

Themide Hebræo-Romana. Nec non uterq; *Zepperus*, hoc eſt, *Guilelmus* ac *Philippus*, in ſuis *Collation. Legg. Moſaic.* Quamq; omnes omnium gentium magiſtri Moſis fuerint diſcipuli potiùs, quàm ut Moſes ex omnibus gentibus Magiſtros habuerit exquiſitiſſimos (quod quidem Philo ad eximiam Moſis gloriam pertinere, fingebat) rectè amicus noſter eruditiſſimus monet *Exercit. II. de Triſmegiſto, ſect. 8. pag. 173.*

Antiquitatem deniq; barbarorum, velut *Sinenſium*, ab *Iſaaco Voſſio* fruſtra jactatam *Hornius*, ceu inanem ac mendaciloquam, omnium oculis (queis pectus ſapit) nuper ſubjecit, in *Diſſert. de Ver. Ætat. Mund. cap. XII.* cujus meliorem ſententiam hîc attuliſſe, non piget: *Omnis authoritas librorum*, inquit, *& antiquiſſimæ Hiſtoriæ dependet à Confutio. Is autem demum natus circa A. M. 3453. id eſt, 551. annis ante Chriſtum; vixitq; annis 70. Obiit ergo A. M. 3523. Ejus enim libri ſunt Bibliothecarum Sinenſium*

anti-

antiquissimi; è quibus propè reliqui omnes prodierunt. Atq; hinc corruit illa assertio: Scriptores habent ipso Mose antiquiores. *Nam cùm Confutius sit antiquissimus, & is demum 551. annis ante Christum natum scripserit, contrarium apparet.* Præterea ostendit CL. Hornius, catalogum Regum apud Sinenses (cujus initia superant æram diluvii Mosaicam) non esse exactæ veritatis; præsertim cùm Sinensium ille Philosophorum princeps, *Confutius* sit *antiquissimus* Scriptorum, qui extant; cui æquè facile fuerit, ac *Manethoni*, antiquitatis nomine suis imponere. De Sinensi Monarchia idem illius judicium est, *non superare* (qualis nunc est) *annos mille octingentos*; nam ante illa tempora sub uno Imperatore plures erant Reges, & regnum ipsum divisum in plura regna minora. Unde crebra bella civilia, & motus; dum hic vel ille Monarchiam in alios assumit, teste *Trigautio*. Idem quoq; testatur, *ab omni memoria civiles tumultus bellaq; minimè defuisse* Hinc falsum esse, quis non intelligit, *Seres* (sive, Sinenses) *spatium quator mille anno-*

annorum absq; bellis in otio & voluptatibus transegisse. Quid enim opus erat (pergit Hornius) *murum* illum ingentem *per quadringentas & quinq; leucas*, inter ardua montium præcipitia struere *contra Tartaros?* vel *militum* in alta pace supra *decies centena millia* alere? Omnis verò antiquitas Sinensium penitus convellitur unico illo *Martinii* loco: *Usque ad annum ante Christum 2207. Sinenses fatentur, nihil certi se habere in Historia sua.* Christus autem natus est A. M. 4000. Ergo si ab his annis 4000. subducumus annos 2207. ubi certa denum incipit Historia, fatentibus ipsis Sinensibus; incidit horum tempus Historicū in A. M. 1893. adeque eorundem Historia *recentior* est *Chaldæorum*, & *Ægyptiorum* rebus. Ad hæc quid autem Vossius? Ipsam Martinii opinionem *non placere*, in Castigat. suis reponit; & hanc certè castigationem quodattinet, *nec illa placet*. Hornius contra se non nugari, dum *Confutium* (quem Martinius *Cungfutium* appellavit) *antiquissimum* Sinensium *Scriptorem* dixit, ipsis Trigautii verbis rem probat, quæ extant *lib. 1.*

Expe-

de Expedit. Christian. apud Sinas, *cap. 4.* Et juxta ipsummet Præadamitam (monente *Maresio*) vix quicquam potest haberi certi de chronologia Sinensium; quam tamen in caussæ suæ defensionem proferre, haud veretur. Consule eruditissimam illius *Refutat. Fab. Praad. Quæst. III. §. 53.* ubi hanc litem molliter componit. Nimirum ipsi *Sinenses* (quos *Seres* alii vocant) eadem ambitione contendunt, antiquitatem Historiæ pariter ac Regum suorum ostentare; qua olim *Chaldæi*, aut etiam *Ægyptii*; de quibus, gentis suæ vetustatem extollentibus, *Eusebius* ille *Romanus* inter alia: *Eò nempe liberiùs mentiri posse putarunt, quò credebant difficilius, sua redargui posse mendacia. Ægyptus enim portentorum parens, & mendaciorum magistra, semper audiit apud populos omnes.* In lib. Præad. *Animadversionum cap. IX.* Hos ipsos *Vopiscus* in Saturnino viros *ventosos*, *jactantes* ac *vanos* nominat. *Superbiat ventosa & insolens natio*, ait *Plinius* in Panegyrico. Ægyptiorum, insolentiùs jactantium antiquitatem excutit *Maresius in Refut. Fab. Quæst. III. §. 43.*

 usq;

usq. ad §. 51. De jactantia *Chaldæorum* (qui tàm grandes temporum acervos sibi & suis Regibus assignarunt) ibidem *Maresius §. 41. & 42.* item Amicus noster, *Exerc. II. de Trismeg. sect. 2.* Confer etiam Eundem de *Ægyptiis*, ad vanitatem Chaldæorum, profundæ antiquitatis suæ jactantia, proximè accedentibus, *ibid. sect. 2. 3. & 4.* De hac ipsa tùm *Chaldæorum*, tùm *Ægyptiorum* vanitate, quam alii mirantur, vide *Is. Vossium Dissert. de Æt. Mund. cap. 10. 11. & 12.* Quibus respondit *G. Hornius in Diss. de Ver. Æt. Mund. cap. 10. & 11.* Fraudulentam hanc ostentationem detegit *Ger. Joh. Vossius lib. de Univ. Mathes. Nat. & Constit. cap. 30. §. 11. usq. ad §. 15.* Quod ad antiquitatem *Scytharũ* attinet, iterum nos docet *Maresius, Quæst. III. § 25.* De prisca *Americanorũ* origine nonnulla is proposuit *§. 54.* ut & *J. Pythius lib. I. Resp. Exetast. ad Tract. Præadmitæ, cap. 49. 50. 51. Georg. Hornius lib. I. de Orig. Gent. Americ. cap. 3. & 11. Jo. de Laët Not. ad. Hug. Grotii Dissert. I. de Orig. Gent. Amer. pag. 9. & 17. Rob. Comtæus Dissert. de Orig. Gent. Am. pag.*

6. &

6. & seqq. Jo. Bapt. Poisson in Animadv. ad ea, quæ Grotius & Laëtius de Orig. Gent. Peruvian. & Mexican. scripserunt; quæ est Prodromus Comẽntarii *in XVIII. cap. Esaiæ*, ubi testimonia & argumenta nova uberiùs perpendit. Quicquid sit, Barbaris vel nulla planè, vel prorsus exigua in antiquitate habenda est; nam hi omnes simul de antiquitate contendunt, ac mira de se suisq; prædicant; ceu observatum est ab Amico nostro, sæpius jam citata *Exercit. II. sect. 2. pag. 81. & seqq.* Postremò mihi præ cæteris arridet *Eusebii Romani* hac de re judicium: *Quasi verò Christiana* (vel etiam Mosis antiquitas) *stare non posset, nisi cum barbarorum hominum periodis, deliriisve conveniret; aut cum poëtis, & ethnicis consentiret.* Adi *lib. 1. Animadv. in lib. Praead. cap. 1. p. 13.* Pergam nunc quoq;, breviùs non nulla enotare

II. DE LITERIS,

QUas à Mose demum inventas, ac traditas fuisse, innuit *Ursinus* noster, *Exerc. III. sect. 3. pag. 206*, nec non

in Proœm. pag. 2. Auctor *Chronici Alexandrini* ex antiquo Scriptore, *Eupolemo* (qui à Fl. Josepho, Clemente Alex. atq; Eusebio, inter fide dignos refertur) observavit sequentia: Εὐπολεμὸς δέ φησι Μωυσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις· πρῶτον Φοίνικας δὲ παρὰ Ἰουδαίων παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων. *Pag.* 148. Quæ verba exinde repetiit *Vossius lib. III. Hist. Græc. pag.* 367. & hanc ipsam eruditorum liticulam, de testimonio *Eupolemi* ventilavit *lib. I. de Arte Grammat. cap.* 9. Idem egére *D. Joh. Dove, in the Confutat. of Atheïsme, chapt.* 7. *Jo. Prideaux Conc. I. de Sapient. Ægypt. fol.* 4. sub finem Lection. & Orat. eiusdem. Qui & de literis, Dei digito exaratis, in *Synt. Theol. Scholast. cap. I. q.* 1. *§.* 1. De literarum inventione in Ægypto, *Sam. Petitus lib. II. Observ. c. I.* Semper-contrarius (qui dicam?) *Ludovicus* inquam *Capellus*, adversus *D. Jo. Buxtorffium* vehementiùs contendit, ac negat, nos eo charactere scriptos habere libros; quo Moses totam legem in authentico exemplari descripsit, *Diatr. de Liter. Ebr. pag.* 39. Verum,
inter

inter privata legis exempla, & volumen illud, quod in arca fuit asservatum, egregiè distinguit *Jo. Coccejus in Excerpt. Gemaræ Talmud. Tractatus Sanhedrin. cap. II. §. XIII. not. 1.* Privata enim, à vulgo ob majorem usum, profano etiam, hoc est, Samaritano charactere scribi, non illicitum erat; licet volumen Legis eo, quo hodiè editum est, charactere scriptum, in arca asservaretur. Quam verò pertinaciter Samaritani contendant, in sua scriptura datam esse legem, ostendit *D. Jo. Henr. Hottingerus, Exercit. Antimorin. De Pentateucho Samarit. §. XXXVII. XLI. & seqq.* De hac ipsa controversia *Frid. Schererzius lib. II. Animadvers. 2.* De prima lingua, hujusq; charactere, uberiùs differit *Joh. Lightfoote in Erubhin, or Miscellanies, Christian & Judaicall, chapt. 29. 30.* Quis esset universi character primus, tradit *Guil. Postellus lib. de Originibus, cap. 5.* Primisne statim temporibus literis, & quibus sint usi mortales, in dialogismo exponit *Guil. Sossius Benecarus lib. de Numine Histor. cap. 48. & 49.* ubi & de literis Sinensium; quorum

rum fabuloſam antiquitatem luci expoſuit G. *Hornius Diſſ. de Ver. Æt. Mund. cap. XII.* Confer, ſi placet, *Bernh. à Mallinkrot de Ort. & Progreſ. Art. Typogr. cap. 1.*

III. De Libris

MOſaicis monemus, Ebræorum quidem hanc eſſe fabulam, librum Moſis, jam morituri, ab Angelo Gabriele acceptum, in ſuperos delatum, palamq; omnibus oſtentatum fuiſſe: Nam & eorum, qui impios convertunt, nomina recitari ab Angelis in cœlo, ut & eorũ imaginem oſtendi, *Jechiel Mile* in libro, cui titulus, *Poma auri*, & ex eo *Gilb. Gaulmyn, lib. II. Notar. ad libb. de Vita & Morte Moſis, cap. 5.* enotavit. Sed hæc ſuperſtitio Chriſtianis non arridet: Sufficiat nobis, Pentateuchum & à Moſe ſcriptum, & ab antiquitate eo recenſitum numero fuiſſe.

Prius negat Præadamita *Peyrerius lib. IV. Syſt. Theol. c. 1.* Nullus adhuc (ait *Euſeb. Romanus in Animadverſ. cap. VIII.*) extiterat præfrictæ adeò frontis, ut

ut Mosen eorum authorem esse, negare ausus fuerit. *Nazaræi*, ut & *Manichæi*, illorum auctorem esse Mosen agnoscebat; licet hi à principe tenebrarum excogitatos apud *August. lib. de Hær.* istiBiblia conficta fuisse, apud *Epiph. lib. I. Hær. XIIX.* dicerent. Pentateuchum ipsi recipiunt *Saraceni*; ceu *Petrus de la Cavalleria* in *Tractatu*, cui nomen est, *Zelus Christi contra Iudæos, Saracenos, & Gentiles*, in lucem editus, cum Glossa *Don Martini Alphonsi Vivaldi*, id ipsum §. *Quæ sunt sacræ scripturæ &c.* affirmavit his verbis: *De Saraceno clarum; cum Mahometus in Alcorano approbet legem Moysi, quam vocat* Taure, *in plerisq; locis; & signanter in Cora. 4. quasi in medio dicit: Nos misimus Pentateucum, in quo est rectitudo, & lux.* De Ismaëlitarum doctrina, ultima Mosaicæ legis appendice, *Guil. Postellus lib. de Origin. c. 18.* Et certè si Dominus noster JESUS Christus (ut habet *Glossa Doctoris Don Martini* ad sequentem §. *Primum evidentale &c.*) in die judicii *tres gravissimos peccatores* acerrimè arguet, videlicet, *ex Judæis, Judam Iscariotem*,

tem, ex Saracenis Mahometũ, ex malis Christianis Antechristum; nullus dubitassim, quin & istos, cùm Mosaicarũ, tùm quoq; reliquarum Scripturarum contemtores, tandẽ acerrimè, velut Christiani nominis ludibria, reprehensurus sit. *Apud hos* (ait *Laurentius Sarson*, olim in Catabrigiensi Socius Collegii Imanuelis, SS. Theol. Baccal.) *audient hæretici Samaritani, quod Mosis scripta pro Canonicis receperint.* Sub initium Dissert. suæ, *Quod nihil extra Deũ, adeóque non Deũ extra se, liceat adorare.* Quinq; libros Mosaicæ legis repudiarunt *Ptolomaitæ* hæretici (qui à Ptolomæo Gnostico de secta Valentinianorum descendunt) quod aliquid ea; quæ in ipsis continentur, non essent à Deo bono, sed à tribus autoribus diversis condita; videlicet, aliquid â *Deo* opifice huius mundi, *medio* inter Deum bonum & Diabolum; aliquid à *Mose*, juxta propriam mentem; & aliquid à *Senioribus* Judæorum, secundum eorundem ingenium. Quæ diluit objecta *Sixtus Senensis lib. VIII. Biblioth. Sanct. Hæres. 2.* Ad hæc Christiano nomine indignos censet *Maresius* priscos

istos

istos hæreticos: *Simonianos*, *Gnosticos*, *Valentinianos*, *Basilidianos*, *Menandrianos*, *Marcionitas*, *Manichæos*, & similes excetras, historiam Mosaicam respuentes. In *Refut. Fab. Praad. Quæst. 1. § 2.* Quid? quod *Basilius*, Seleuciæ Episcopus, in Israëlitarum calamitatibus ponit, μωϋσϊκῶν βιβλίων ἔμπρησιν, *Mosaicos libros concrematos*, *Orat. XXXI.* Ibi in notis *Claud. Dausquejus* similia observat loca *Chrysostomi*, D. Paulum ad Ebræos explicantis, ut & *Eustathij* in Iliada v. de libris *Prophetarum* exustis.

Ad alterum quod attinet, scimus utiq;, verum & antiquum S. Scripturæ canonem nec plures, nec pauciores Mosis libros, consensu aliquot seculorum, nobis exhibere; quem consignavit *D. Conr. Hornejus*, *b. m. in Tract. de Sacr. & Div. Scripturis. Disp. II. num. 39. & seqq.* Quamvis Ecclesiæ *Armeniacæ* Sacerdos *Jo. Gregorio*, Anglo, narraverit, *plures* in ipsorum Ecclesia *Mosis libros*, quàm apud nos exstare. Sic enim Gregorius in *præfat. Opusculorum*, notas & observationes in S. Scripturam continentium, *edit. secund.*

A. C. 1650. Anglicè, ut omnia, ſcripſit: *The Armenian Prieſt told me, they had more Bookes of Moſes, then vve.* Affirmat Anglus ille doctiſſimus, ſe in libro MS. Armenicè, cum verſione Ital. apud ingenioſiſſimum virum, *Gilb. North*, vidiſſe *Epiſtolam III. Pauli ad Corinthios*, nec non aliam *Corinthiorum ad Paulum.* Fortaſſis eam hæ merentur fidem, quam *Apocalypſis Moſis*, quæ λεπτὴ γένεσις aliàs dicebatur. Sic enim *Cedrenus*: Ὡς ἐν λεπτῇ φέρεται γενέσει, ἣν καὶ Μωσέως εἶναι φασί τινες ἀποκάλυψιν. Qualis olim etiam Apocalypſis exſtitit *Petri*, ſed damnata; & *Pauli*, ſed rejecta; item *Adami*, *Esdræ*, *Zoſimæ*, *Thomæ*, *Stephani*, *Zoroaſtris*, *Zoſtriani*, *Nicothei*, *Allogenis*, & *Meſi.* De quibus *Jo. Meurſius in Gloſſario, p. 41.*

IV. DE SAPIENTIA,

SIve Philoſophia Moſis, Exercitator noſter in *Triſmegiſto ſect. 8. & 9.* ſatis abundè ac diligenter egit; ita ut ſpicilegium dare ſupervacuum ſit. Tentabo tamen: *Gregorius Nyſſenus* Moſen τὸν ὑψη-

λὸν

λὸν vocat; mox διὰ ἡσυχίας μελετώσεως (ut legit Gretserus in margine) τῇ θεωρίᾳ τῶν ἀοράτων ἐναπενίζοντα, *in sua quiete inaspectabilium rerum contemplationi suspensa mente vacantem*, nobis describit: ὁ τῷ φωτὶ τῷ ἀρρήτῳ μετὰ ταῦτα καταυγασθεὶς, καὶ τῆς δερματίνης τε καὶ νεκρᾶς περιβολῆς, ἐκλύσας τῆς ψυχῆς τὴν βάσιν. *Qui post hæc ineffabili lumine perfusus est, animæque pedes ex coriaceo & mortuo tegumento expedivit*. In eius *Tract. I. in Psalmos, cap. 7.* Quam ab Ægyptiis Philosophiam Moses didicerit, vide *Rittershus. lib. I. Sacr. Lect. c. 5.* Scientiam Ægyptiorum mysticam, illi familiarem, persuadere nobis conatur *Bolducius de Oggio Christ. lib. III. cap. 2.* Hanc ipsam sapientiam fusiùs exponens, diabolicam, ut & magiam illicitam, removet *Jo. Prideaux Conc. De Sapient. Ægypt. in illud Act. VII. 22. Guil. Sossius lib. de Numine Hist. cap. XLI. Leo Allatius in Syntag. de Engastrimytho. c. 20. Jeremy Burroughs of Moses his Self-denyall, pag. 4. & seqq.* De Chymia, Mosi incognita, *Prideaux loc. cit. fol. 7. Sam. Bochartus in Phaleg, lib. IV. cap. 1.* De scientia Mosis hæreditaria, a

Sossio

Soſſius lib. cit. cap. XLI. De vera hujusdem doctrina *Jac. Altingius lib. V. Schilon. cap. 4.* De quinquaginta portis, præter unam Moſi reſeratis, *ibid. cap. 13.* Has verò ridet, ut inſulſas otioſorum hominum nugas *Guil. Vorſtius in not. ad Maimon. lib de Fundam. Leg. c. 1. §. 11.* Naturalem Philoſophiam *Claud. Duretus* in Theſauro ſuo, *de l' Hiſtorie des langues de ceſt univers, chap. XXV.* ex auctore Zoar, his laudavit verbis: *L' auther du Zoar, illumination ou ſplendeur, Simon Ben Joachai, aſſeure, que ce Prophete a traicté infinis ſecrets de nature ſous l' exterieure apparence de ſon hiſtorie Hebraique, & principalement en ſon Levitique, ou toute la Philoſophie naturelle ſe trouve compriſe bien d' une autre façon, qui aux liures de Philoſophes, & autheurs Grecs & Latins.* Et quæ ſequuntur. Quæ naturæ arcana Moſaica ſummo conquiſivere ſtudio *Ben. Arias Montanus in Naturæ Hiſtoria, Paulus Vecchi in Obſervat. Phyſiognom. & Medic. in divinam Scripturam, Jo. de Mey in tribus Sacræ Phyſiologiæ partibus*

bus, *Ant. Deusingius in Mundi Opificio*, & *Christ. Schotanus in Heptaëmero.* Quomodo autem tractanda sit Mosis doctrina, si manifestis Philosophiæ rationibus videatur contraria, quodq; sapientis interpretis officium sit (*affaticarsi per penetrar i veri sensi de' luoghi sacri, che indubitabilmente saranno concordanti con quelle conclusioni Naturali, delle quali il senso manifesto, e le dimostrationi necessarie, ci hauessero prima resi certi e sicuri*) ulteriùs persequitur *Galilæus à Galilæo, in Nov-antiq. Patrum & Theolog. Doctrina de S. Script. Testimoniis, in Conclus. merè Natural. Pag. 17. & seqq.* Mirum profectò videbitur hodiernis S. Scripturæ contemtoribus, quod Hispanus ille, *Pietro di Valderrama*, Ordinis August. Concionator famigeratissimus, in *Quadragesimali* suo, ab *Ægidio Gottardo Dà Rimino* in Italicum idioma traducto, tàm cordatè de Mosaica sapientia ausus fuerit affirmare, præ hac omnia pro mera stultitia omninò habenda esse. Sic autē ille *Exercit. Dominic. II. Quadrages. cap. XV.* in ea de cathedra Mosis *Matth. 23.* verba. *Veggiamo adesso la qualità, c' hebbe Mose, acio-*

cioche le impari, che si sentanella sua cattedra, se consideriamo il saper, troueremoper cosa indubitata, che se tutto il nostro si deriua da quella infinita sapienza; senza laquale tutta l'humana si chiama stoltitia, anzi pazzia: *e senza laquale niuna dottrina, nè niuna ammaestramento può entrare nella nostr' anima.*

Ob insignem deniq; prophetiam Moses ab *Athanasio in Pass. & Cruc. Dom.* ἱεροφάντης dicitur; ut & ab Ægyptiis ψομ-θομ-φαν-χθὴ, hoc est, cui futura cognita & significata sunt. In *Chronico Alexandrino, pag. 178.* Omnium Prophetarum principem, ejusq; prophetiam præ aliis eminentem, *Maimonides* declarat *lib. de Fundam. Leg. cap. V. §. 5. usq. ad 10.* nec non *Guil. Vorstius* in notis ibidem. Differentias quatuor, quibus prophetia Mosis à reliquorum distinguitur, recenset idem *Maimonides in Porta Mosis, pag. 170. & seqq.* Eminentiam prophetiæ hujus ad octo fidei articulos *Isaac Abravanel* refert, quibus credendum est; qui autem unum eorum negat, vocatur hæreticus, quia sunt articuli fidei, non dependentes

à præ-

â præceptis specialibus. *Lib. de Capite Fidei, cap. 2.* Videatur præterea *Josephus Voisin lib. I. Theol. Judæor. cap. 1.* Postremò, quia Moses quadragesimam nonam (ceu suprà ex aliis indicavi) scientiæ portam attigit, ideò Mosis sapientissimi sepulchrum neminem nosse, *Picus* ille *Mirandula* docuit, apud *Gilb. Gaulmyn lib. I. Not. ad libros de Vit. & Mort. Mosis, cap. ult.*

V. DE LAUDIBUS

MOsis Ebræi multa narrant; sed hisce deliciis se oblectare Rabbinica ingenia, ut omnia in Mose supra fidem extollant, jam dudum monuit *Guil. Vorstius in Observ. ad Chronol. R. David Ganz, p. 106.* Nominibus decem fuisse vocatum, è *Vaikra rab. sect. 1.* annoavit idem *Vorstius Animadv. in Pirke R. Elieser, cap. 48.* Excellentiorem Patriarchis, & ipsis Angelis (de his *Ant. Hulsius lib. I. Theol. Judaic. Part. 2. q. 5.*) Rabbini faciunt, quinq; Mosaicæ dignitatis gradus constituentes; de quibus iterum

rum Vorstius: *Si dicendum, quod res est; denitùs obliviscuntur hi mortales humanæ sortis, ubi Mosis sui ebuccinant encomia; & paulum abest, quin magistrum suum DEO ipsi æquent: imò revera proxima illum post DEUM cathedra ponunt.* Not. in *Maimon. Fund. Leg. cap. I. §. 11.* Sed, nisi me omnia fallunt, sublime elogium istoc à sensu S. Scripturæ cœpit; quæ tria, vel quatuor *Dei* significata continet; juxta secundum enim significatum Moses relativè *Hominum Deus* vocatur; sive, non Deus absolutè, sed *alicujus Deus*, εἴρηται θεὸς Φαραώ, *Deus Pharaonis* dicitur; prout pensiculatiùs hoc æstimavit nomen *Photius Epist. 162. ad Amphilochium, ex editione Rich. Montacutij.* Et ante Photium *Athanasius* mystico exposuit sensu, quomodo Deus Μωυσῆν ἐτίθει θεὸν τοῦ Φαραώ. *Disp. II. contra Arianos.* Similiter, cur illum Ægyptii Deum nominaverint, *Cyrillus Alexandr. lib. I. contra Julianum.* Præter hoc Dei significatum, duæ adhuc aliæ rationes occurrunt, quæ Judæos eò dementiæ impulére, ut magistrum suum Deo ipsi æquarent: *Signa divina*, & *immortalitas*. Rem aperit *Epipha-*

phanius Panarij hæreſ. 55. de Judæis loquens: *Ji namq́, qui in Arabia Petre, Robom, & Edom appellata, habitant;* τὸν Μωυσέα διὰ τὰ θεοσήμεια θεὸν νομίζουσι· προσκυνοῦσί τε τὴν αὐτοῦ εἰκόνα, *Moyſem propter ſigna divina Deum putant; adorantq́ ipſius imaginē, quam effingentes ſeducti ſunt.* Quod Epiphanius, θεὸν νομίζουσι καὶ προσκυνοῦσι, hoc Proclus τὸν Μωυσέα ἐκθειάζεις; *Moſen, ut Deū, obſervas, & colis?* Quod exprobravit Judæis *Orat. XI. de Paſſion. Dom.* quam inter Procli Analecta, ſive Opuſcula, ſimul edita, *Vincentius Riccardus* exhibens, in Commentario verbum hoc, ἐκθειάζειν è *Plutarchi lib. V. Symp. c. 10.* expoſuit; ubi: *Mortales ſanè communia, & quæ uſibus noſtris inſerviunt,* ἐκθειάζουσι, *divina eſſe exiſtimant; velut aquam, velut lucem, temporumq́ articulos.* Idem Plutarchus in Alexandro: *Apud gentes autem penè, & ſubverecundè,* ἑαυτὸν ἐξεθείαζεν, *naturam divinam ſibi attribuebat.* Super hæc *non deſunt*, ait *Auguſtinus Tract. 124.* in Johannem, *qui etiam Moyſen aſſerant vivere.* Et mox: *Quidam Moyſen mortuum negant, quem Scriptura ipſa,*

licet sepulchrum nusquam inveniri legimus, mortuum tamen esse, sine ulla ambiguitate testatur. Nimirum *Deut.34.6.* Hinc Moysis & Eliæ præsentia, in transfiguratione Domini, testabatur, eum & vivis (*Eliæ*) & mortuis (*Moysi*) dominari. Confer *Isidorum Pelus. lib. I. epist. 239. Chrysostomum Hom. 57. in Johan. & Basilium Seleuc. Orat. in Transfig.* Aureum *R. Samuelis*, oriundi de civitate Regis Morochiani, Tractatum (post alteram ejus de anno 1475. impressionem) *Don. Mart. Alfonsus Vivaldus* è tenebris revocavit, in formam epistolæ conscriptum ad *R. Isaac magistrum Synagogæ*, quæ est in Subiulmeta, in regno prædicto; hujus igitur epistolæ auctor, ut Isaaco ascensionem Christi in cœlos persuaderet, simili Moysis exemplo eam confirmare sustinuit; quasi de hoc ipso, corpore simul ac anima in cœlos translato, minimè dubitandum foret *Cap. XIII.* Contrarium evincit tùm Scriptura ipsa, tum satis antiqua Ebræorum sententia, in *Hazoar*, sive illustratione Prophetarum de plenitudine temporis Messiæ, prout

prout *Christoph. Lauretus* Parisiis olim edidit, *Charagm. VII.* ubi & *epochas* & *scholion* vide. *Mortem Mosis* ex Ebræo vertit *Ios. Gaulmyn*, ubi R. Joachanan observat, *decies* mortis vocabulum *in Scriptura de Mose* usurpatũ, *pag. 55*. Porrò sub initium libri illius de Morte Mosis, in benedictione, idem *Vir DEI* vocatur; nec *Vir Deus*, ut ibidem Samuel Nehemanides disputat. Econtra Doctor Tanchuma inquit, *Vir Dei*, vel, *Vir Deus*. Si *vir*, cur *Deus?* cùm à Pharaone fugit, *vir* dicitur; cùm cœlos ascendit, *Deus*. Similem, si non eandem *Gregorius Nyssenus* quæstionem ventilat, cur *Ps. 89.* hæc sit inscriptio: Προσευχὴ τῷ Μωυσῇ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ. Cur, inquam, is *homo Dei* appelletur? *Tract. I. in Psalmos, cap. VII.* Cumq; res strenuè ac feliciter gestæ in eum sæpiùs inferri soleant, cujus auspiciis erant inceptæ; etiam si forsan è vita priùs excesserit, quàm confectas dederit: Sic Mosi à *Strab. lib. XVI.* populi Israëlitici deductionem tribui, ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον, ὅπου νῦν ἐστὶ τὸ ἐν τοῖς Ἱεροσύλοις κτίσμα, observavit *Edmundus Dickinson in Delphi*

Phœnisantibus, sub fin. cap. VII. Ad ultimum Numenij, Philoſophi Pythagorici, apud *Heſychium de Viris Claris*, vox nota eſt, de Platone: τί γάρ ἐςι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; *Quid enim aliud eſt Plato, quàm Moſes Atticiſſans?* Quod ſurripuerat è Moſaicis libris, quæ de Deo, & mundo prodidit. Sic tandem ob philoſophiam *Socrates Iſraëlita* nominatur à *Guil. Soſſio lib. de Num. Hiſtor. cap. XLI.*

VI. DE CONTUMELIIS

ID reſtat dicendum, quasdam videri ſaltem, alias autem revera tales eſſe: Priore ſenſu excuſat *Maimonides* Prophetarum cum Moſe comparationem, tali modo: *Dixerunt de quibusdam ipſorum, ob illud, quod de ſcientia & moribus ipſorum perſpectum habuerunt: Dignos fuiſſe ipſos, ſuper quos reſideret majeſtas divina,* æquè ac ſuper Moſen, *Doctorem noſtrum. Non autem fugiat ſignificatio comparationis; compararunt enim ipſos cum illo, non tamen ita, ut æquales eos illi ſtatuerent. Abſit! Similiter dixerunt de aliis, ut:* Æquè ac ſuper

ſuper Joſuam; *eo, quo diximus, modo.* Hæc juxta verſionem Ed. Pocockij, ex Arabico, *Capitis VII. Comment. in Pirke Aboth præmiſſi, pag. 231. 232.* Ita de magno, & magnarum rerum patratore dicetur, *noſtri temporis Moſes*, vel, *novus Moſes*, hoc adagium obſervante *Aloyſio Novarino in Adag. Sanctorum Patr. & Script. Eccleſ. cap. DCCLXXI. §. 658.* Hoc titulo donavit Gregorius Nyſſenus Gregorium Thaumaturgum, in ejus vita: *Alius hic quidam noſtris temporibus* Moyſes *fuit, qui verè cum illius miraculis certaret, &c.* Gregorius Presbyter in vita Gregorii Nazianzeni, ita de hoc, & Baſilio, vario diſciplinarum genere inſtructis: *Quin etiam numerorum ſupputationes, & Geometriæ æquitatem, aſtrorumq́; ſitum ac motum, veluti* novi Moyſes *edocti ſunt.* Greg. Nazianzenus lenem ac manſuetum *Moſi* & *Aaroni* comparavit in Carm. de rebus ſuis:

Lenis, dulciloquus, Moſes *novus, alter* Aaron.

Ulphilam tanto honore à Conſtantino affectum fuiſſe, ut ſæpè ab eo, ὁ ἐφ' ἡμῶν Μωσῆς, *noſtri temporis Moſes*

diceretur, docet nos *Philostorgius lib. II. Hist. Eccles. c. 5.* Ipsummet Constantinum cum Mose componit & Auctor vitæ Constantini *lib. I. cap. 8. & 14.* Nam alios eo ævo cum Mose comparatos notavit inibi *Jac. Gothofredus, Dissert. p. 57.* Ceu anteà Plato dicebatur Moses, ita vicissim Virgilius *Poëtarum Plato* dictus est Alexandro Severo; de quo *Lampridius* in ejus vita: *Platonem Poëtarum vocabat Virgilium; ejusq; imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit.* Per ætatum confusionem à posteris Plato vocabatur *Philo Atticus*, ut habet *Sossius l. cit.* Videbatur quoq; contumelia quibusdam in sculptura tituli librorum de Rep. Ebr. Cunæi, studio commissa, eò quod *Moses à sinistris, Aaron* autem *à dextris* staret; uti Barlæus hac de re Cunæo scripsit in nuper editis *Epist. Histor. & Eccles. pag. 713.*

Pro vera autem irrisione & contumelia omninò haberi debet, si quando Innocentius Papa in Concilio Rhemensi hunc in modum (apud *Platinam, Onuphr. Ursperg. Frising.* alios, quos *Christ. Mat-*

thiæ

thia testes in Actis Eccles. Lotharij II. citat) legitur descriptus: *Plusquàm Moses, hîc! Mosi commissa fuit una plebs Israëlitica, huic universa Ecclesia. Plus quàm Angelus hîc! cui enim Angelorum dixit DEUS: Quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis? Secundum officium dico non secundum meritum: Præter Deum non est similis ei, nec in cœlo, nec in terra.* Aut si de Pontifice *Bernardus lib. III. de Consid. ad Eugen. III. cap. 8.* loqui fertur: *Tu dignitate Aaron; auctoritate Moses.* Aut si elinguis glossa *Decretal. lib. IV. tit. 17. Qui sint filii legit. cap. 7.* ita balbutit: *Moyses utrumq; gladium habuit, cujus successor est Papa.* Plura de hac Mosis cum Papa comparatione, *Ios. de Voisin. lib. de Lege divina, cap. 45.* Hujus etiam farinæ sunt verba ista, pol oratoria: *Sub Mariæ umbra Mosen tantum Principem & Legislatorem creatum.* Quibus superbit verborum umbris *Aloys. Novarinus*, in Umbra Virginea, hoc est, *lib. IV. Sacr. Elect. Excurs. LXIV. §. 632.* Adde & istud: *Mosis faciem splendere per virginem*, lib. eod. *Excurs. CXXXIV. §. 1257.* Refer huc *Mo-*
sen

ſen Anglorum, ceu Cromwellus à ſuis complicibus appellatur, in *Salutat. Regia Georgii Fox*, *Cap. IV*. Itemq; fanaticos iſtos, de quibus auctor *Narratiunculæ de hod. Stat. Eccleſ. in Angl. Wall. Scot. & Hiber. pag. 12.* hæc narrat: *Quales illi duo*, ait, *quorum alter ſe* Moſen, *alter* Aaronem *dicit; nec minorem ſibi poteſtatem, quam verus ille Moſes & Aaron habuerunt, attribuunt.* Blaſphema *Roberti*, vel *Robinſonii*, ſecta magiſtrum ſuum *Moſen à Deo miſſum* prædicavit, ad reducendos in ſemitam ſalutis Judæos; idq; adjecit ex abundanti: *Inſtar Moſis maria eum dividere poſſe.* Steriles iſti nugatores Moſen, fœcundam veluti nubem (nam ἕκαςος τῶν ἁγίων νεφέλη ἐςὶ, dixit de eo *Cyrillus Alexandrinus in Jerem. Hom. VIII.*) pro nihilo putantes, digni omninò ſunt, qui illud Prophetæ ſentiant: ταῖς νεφέλαις ἐντελῦμαι, τῦ μὴ βρέξαι ἐπ' αὐτὸν ὑετόν. Tantum de antiquitate, ac rebus Moſaicis.

ZOROASTRIS nomen ac res *pag. 22.* exponuntur, cum quibus fortè conferri poſſent, quæ *Sam. Bochartus* obſervavit, notare id ἀςροθεάτην, *aſtrorum con-*

cotemplatorem, uti vox שור de contemplatione cœli uſurpatur, *Job. 35. 5.* quæ vox ad Arabes ac Perſas tandem abiit: אסתר, ἄϛρον denotat. Cæterùm Zoroaſtren non eſſe Cham, ſed hoc multò recentiorem; nec Bactrianorum Regem, Nino æqualem. *Lib. IV. Phaleg. cap.* I. Adde ſis *Rich. Montacutiū Part. I. Orig. Eccleſ. fol. 167. Gerh. Jo. Voſſium lib. de Scient. Mathem. cap. 30. §. 10. Lib. de Philoſ. Sect. cap. I. §. 5. De* hujusdem ſcriptis, ac ætate, idem *Voſſius lib. III. de Hiſt. Gr. c. ult.* De ejus magia, & pſeudepigraphis *G. Hornius lib. II. Hiſt. Philoſ. cap. 6. Chronicon Alex. pag. 63. Edvv. Pocockium Not. ad Specimen Hiſt. Arab. p. 147,* de Zaradushto. *Guil. Soſſium de Numine Hiſt. cap. 50. & 51.* Nec non *Mareſium in Ref. Fab. Praad. Quæſt. III. §. 42.*

REGES fingi magiæ inventores, uti Zoroaſtrem, conſtat *pag. 12.* Amplexus eſt hunc errorem *Elmenhorſtius ad Arnob. lib. I. pag. 5.* In S. Scriptura falſi vates, artibus iſtis gloriam ac nomen captantes, *Principes Taneos* appellantur, & *Principes Mempheos*, de quibus *Ben. Ar. Mon-*

tanus in Naturæ Hist. p. 90. 123. & 130. Largiùs hæc nomina exponit *Jo. Alba in Select. Annot. & Exposit. in utriusq; Test. diffici l. Loc. cap. LXXXII.* ubi de Principibus hujus seculi, *I. Cor. 2.* Idem & in Scripturis *Sapientem* sonare ait *Principem* ac *Regem*, vel Potentem, *cap. XLIX.* Nam plerunq; Reges Gentilium (quod tamen fictitio Zoroastri haud largimur) magiam perfectè ac planè calluerunt; ceu Reges Ægypti & Persarum Magos fuisse, ac Pharaonem ad videndum incantationes super aquas, exisse, annotavit *Gilb. Gaulmyn lib. I. Not. ad libb. de Vit. & Mort. Mos. cap. 9.* Quare & princeps Magorum à Rege electus, Idem *lib. I. cap. 1.* Ex more Persarum didicerant Romani, Tullio teste, nemini esse Regem licuisse, qui non ante Magorum disciplinā percepisset; quare apud illos sicut jura dare, ita & divinare, à primo ortu Urbis, Regum munus fuisse constat. Plura de his *Leo Allatius Animadv. in Antiquit. Etrusc. Fragmenta, ab Inghiramio edita, pag. 10. & seqq.* De hac ipsa consuetudine *Sossius* in suo *de Num. Hist.*

cap.

cap. XLI. Hinc nomen illud regium *Porphyrii*, nec non *Malchi*, quod βασιλέα in Syro-phœnicum lingua ſonat; de hoc fusè *Luc. Holſtenius in diſſert. de Vit. & Script. Porphyrii, cap. 2.* Reges nimirum Magi etiã illi fuere, quod Chriſti naſcentis ſtellam viderunt; quam fabulam prodit *Iſ. Caſaubonus*, prudens de hac, ut ſolet, judicium ferens: *An autem iſti Magi Reges erant? Quum nihil de eo Scriptura dicat, nihil certi Patribus conſtiterit, fuerítq; olim liberum cujusq; eade re arbitrium ſentiendi, ut vellet; non eſt toleranda eorum tyrannis in Eccleſia Dei viventis, qui aliter opinantes ferre non poſſunt.* Hæc ille *Exerc. II. ad Annal. Baron. num. X.* Quæ verba concoquere non potuit *Montacutius*, fidelium piam traditionem, & Patrum auctoritatem prætexens, *Part. I. Orig. Eccleſiaſt. fol. 202. 203.* Sed is fermento papiſtico turgens (ait *Honorius Reggius in Præfat. ad lib. de Statu. Eccl. Britan. hod. lit. B.*) tales quoq; ſententias in gravioribus fidei negotiis fovebat. Conſentit cum Caſaubono *Abrah. Scultetus lib. I. Exercit. Evang. c. 53.* Hinc iſta concio (quæ ſtyli orato-

oratorii veniam fortè meretur) *Jo. Altamuræ* Ord. Prædic. ubi is, more ſuo, Reges eosdem, & palatia, & ſceptra, & familias ultrò deſerentes, mirum in modum (*nell' Epifania del Signore*) laudat: *Fiſſamente pondera, che queſti Magi laſciano li ſtati, il corteggio de i palaggi Reali, abandonano li ſcettri, ſi ſcordano degli affetti proprii, e delle loro famiglie.* Præterea, uti Sapientes regio colebantur nomine: haud aliter apud Chriſtianos hyperbolica poteſtatis Epiſcopalis amplificatio, & *cum dignitate Regia comparatio* cœpit, monentibus *Jac. Uſſerio, Armachano, Annotat. in Polycarpianam Epiſtolarum Ignatianarum Syllogen, cap. X.* & item *Vedelio Exercit. I. in Ignatii Epiſt. ad Trall. cap. 9.* Dignitatem iſtam augebat munus illud, quod *Clemens in Epiſt. ad Corinth.* μομοσκοπεῖν vocat; id verò multis illuſtravit exemplis *Patricius Junius*, Bibliothecarius Regius, in *Not. ad pag. 53.*

JANNES & JAMBRES, ſive MAMBRES, Dei operibus, Diaboli fraude petulanter obſtitiſſe, *pag. 29. 36. 170, 175.* Hos ipſos, Magos, quorum mentio

mentio fit. 2. *Tim.* 3. antiquus ille Philosophus Pythagoricus, *Numenius*, commemorat apud *Euseb. lib. VIII. de Præpar. Evang. c. 8.* Loci hujus Numenii meminit *Origenes, lib. IV. contra Celsum*, Jannis ipse *Plinius lib. XXX. c. 1.* Hi duo in solitudine Ægyptiaca sepulchrum condiderunt, omni arborum genere ornatum; putantes post obitum frui deiitiis in illo paradiso: illudq́; κηποτάφιον appellarunt. Plurima de his Magis *Hugo Menardus* notavit in *Epist. S. Barnabæ, pag. 132. & seqq.* Magiam breviter exponit *Jo. Sarisberiensis lib. I. de Nugis Curial. c. 10.* Promisit etiam *Gaulminus* librum *de certaminibus Magorum*, Jannis & Mamris nominibus celebrem, *lib. I. Not. ad Vit. & Mort. Mos. c. 1.* Et præter ea, quæ ex Menardo attulimus, loca, corruptum *Janis* nomen in *Apol. 2. Apuleji* legi, observat *lib. eod. c. 5.* Confer *Jo. Pricæi Not. ad Apol. pag. 100.* Aliquem Jamni & Mambri parem designare verba illa 2. *Thes. 2. 9.* scribit *H. Grotius Ger. Vossio, in Epist. Eccles. & Theol. p. 761.* Istos à Mose tandem superatos, ejus

ejus complices ulceribus punitos, etiam matrem utriusq; morti adjudicatam, tradit *Philostorgius lib. IX. Hist. Eccles. c. 2.* Vide sis *Gothofredum*, abundè de his *differentem, pag. 358. & seqq.*

MAGOS EVANGELICOS infames artes calluisse, negatur *pag. 35.* Magi propriè fuerunt Physici, qui cognitioni elementorum, rerumq; naturalium operam darent; & hæc magia licita erat: Deinde in malum sumi cœpit, pro ijs, qui eã colentes ad præstigias etiam abuterentur. Accuratissimè omnium de vocis Magi significatione, hujusq; vera scientia, *Lud. de Dieu Comment. in Matth. cap. II. §. I. & in Append. pag. 506. 507.* Idem *Animadv. in Acta Apost. cap. XIII. §. 8.* nec non *in Excerpta ex Hist. Christi*, à Xavierio Persicè scripta, *ad pag. 81. Dan. Heinsius Exercit. Sacr. lib. I. cap. 2. Jo. Mich. Dilherrus Tom. I. Disp. VIII. pag. 184.* De Magis cœlitùs edoctis *Montacut. Part. I. Orig. Eccles. fol. 150.* Totam eorundem historiam enarrat *fol. 166.* cur omissa à S. Luca Græco? *fol. 211.* Mago-

rum

gorum mores, dogmata, ac ſectas recenſet *fol. 174. 176.* Eandem hiſtoriam dilucidè explicat *Abr. Scultetus. lib. 1. Exerc. Evang. c. 53.* Verùm, duriuſcula eſt expoſitio iſta *Io. Lightfooti in Horis Rabb. & Talmud. in Evangel. Matth. pag. 25.* quæ ſic habet: *Magi*, id eſt, *Venefici, vel malis artibus dediti; nam in hoc ſolùm ſenſu occurrit hæc vox in pagina ſacra.* Bona verba, quæſumus! ſi enim ſequamur obſervationem *Lud. de Dieu*, nomen illud μάγον videtur *Act. 13. 8.* prout ante me obſervavit *Edvvard. Leigh in Crit. Sacr. of the Nevv Teſtament, pag. 252.* Huc etiam loci Judæorum malitia referri debet, qui adventum Magorum in calumniam rapuerunt, cùm ab Evangeliſta Matthæo proditum accepiſſent iter JESU in Ægyptum; ſuis enim perſuadebant, JESUM in Ægypto diabolicæ magiæ operatum eſſe, atq; hujus artificio miracula poſtmodum patraſſe. Sed Magi illi acceſſerunt non ex Ægypto, quorum nomen infame erat; verùm ex Oriente, cujus *Sapientes honeſtiſſimo titulo ſic appellabantur*: Iidem Magi venerunt

ad

ad Jesum, ut ipsum adorarent; non Jesus ad ipsos, ut ab ipsis institueretur: Deniq; illorum adventus abitusq; itinere Jesu Ægyptiaco prior fuit. *Jac. Altingius in Addendis ad Schilon. lib. I. cap. 17.* Hæretici autem isti, quorum meminit *Hieron. in 3. Ezech.* & *Augustin. lib. I. de Consens. Evang. c. 10.* qui jactarunt, vidisse se libros Christi ad Petrum & Paulum de arte magica, procul dubio id à Judæis accepére: Quomodo autem istos refellat Augustinus, recensuit *Jo. Bapt. Casalius in Notabil.* sive Addendis, *ad lib. de Vet. Sacr. Christian. Ritib. cap. LXVI. fol. 271.* Ecquis Thomam Aquin. non rideat, quem tamen *Altamura* (*nell' Epifania del Signore*) anxio pede sequitur, investigando Magorum sapientiam; non Persicam, sed Græcam, Aristotelicamq;; Calluerunt enim Logicam, dicentes: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Astrologiam: *Vidimus stellam ejus in Oriente,* Arithmeticam: *Obtulerunt ei munera.* Musicam: *Adoraverunt.* Ethicam: *Procidentes.* Et Metaphysicam: *Obtulerunt aurum, thus, & myrrham.* Acumen hoc

Acumen hoc philoſophicũ, de ſingulis noſtræ Sapientiæ partibus, longè ſubtiliùs eruit Altamura: *Furono prima, e principalmente* Logici, *mediante una profondiſſima dimãda, e queſtione, quando che arrivati in Gieruſalemme dimandarono, dicendo*, Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum? *Furono* Aſtrologi, *nel' conoſcere la Stella; furono* Arithmetici, *nell' elettione del numero ternario, e perfetto nelli doni; furono* Muſici, *mediante adoratione, poiche dice San Tomaſo*, Muſica eſt laus, & in adoratione laudatur Deus. *Non furono priui della ſcienza morale, che è l'* Ethica, *mentre che s' humiliorono, proſtrandoſi. Furono* Metafiſici, *conoſcendo la prima cauſa, e conebbero, quello eſſer Creatore, Gouernatore, e reparator dell' Univerſo, e ciò dimoſtrorno nelli preſenti, che miſticamente offerſero. Nell' oro della potenza lo confeſſorono Creatore, con la mirra lo predicorno Conſervatore, e con l' incenſo l' adororno come à Redentore.*

De magia licita, & aſtrorum peritia, qua Perſæ præ cæteris pollebant, *Porphy-*

rius lib. IV. de Abstin. ab Anim. necand. §. 16. Jo. Pricæus Not. in Apuleji Apolog. ad pag. 30. Quàm antiquum illud Astrologiæ studium sit, variis gentibus usurpatum, ostendit *Ger. Jo. Vossius lib. de Scient. Mathem. cap. XXX.* De Arabum pariter atq; Jndorum circa fixas stellas cura *Pococki Not. in Specim. Hist. Arab. p. 163.* De Alkindo Arabe *Jo. Seldenus præfat. ad Eutychium, pag. 19.* De vera quoq; magia, quæ distinguitur à nigra, *Jac. Gaffarellus* ad Armandum de Richelieu, in *Abditis divin. Cabal. mysteriis, pag. 15. & seqq.* Sed divinis humanisq; legibus prohibitam, & cum idololatria conjunctam, Patres secutus, rejecit *Jo. Filesacus, in Differt. de Idolol. Magic. §. 6.* Idem agit *Pag. Gaudentius de Progr. Philos. apud Rom, c. 5.* Innuit idem *Pricæus ad Apol. pag. 54.* & *Des. Heraldus Not. ad Tertull. Apologeticum, cap. XXIII.* Tales procul dubio apud Alexandrinos Ægyptios Magi fuere, qui *vectigal* quodpiam pendebant, quod *stultorum* appellabatur; quoniam, non nisi à stultis & curiosis hominibus consulerentur. De hoc *Suidas*, & ex eodem *Jo. Ar-*

Arrovvſmith lib. I. Tactic. Sacr. c.3. §. 14. Ob magiam ex jecinore, *Tobiæ liber* (nec tamen ob hanc ſolam cauſſam) pro Canonico non habetur, *Jo. Prideaux in Faſcic. Controv. Theol. cap. I. quæſt. 2. Jo. Cloppenburg. Diſp. VI. de Theolog. & Script. th. 4.* Nam hariolos, jecinora rimatos, ait Apul. in Apol. & *Pricæus* plura in hanc rem contulit exempla, *ad pag. 47.* Nec magici libri ſolùm à Chriſti diſcipulis, verùm etiam à Gentilibus combuſti fuere. Conſule *Pag. Gaudentium Diatrib. XI. de Candore Polit. cap. 3.*

FURTA EX SACRIS tùm Zoroaſtrem, tùm alios deceptores, commiſiſſe, induſtrius Exercitator annotavit *pag. 44. 105. 108. 142. 144. 150. 164. 168.* & alibi. Gentes eadem libertate, quævis auferendi in ſcriptis ſuis utebantur. Talia omninò ſunt, quæ Creſcenti, Cynico philoſopho proponuntur; & à Juſtino quidem, ceu creditur vulgò. Examinavit ea *Pag. Gaudent.* in ſuo *de Progr. Philoſ. apud Rom. c. CXXIII.* Ethnicorum fabulas ex Hiſtoriis ſacris deſumtas, vide apud *Dilherrum Tom. II. Diſp. Phil. II.*

cap. 2. De Gentilium audacia, in fingendis talibus, antiquus Scriptor, *Eusebius Pamphilius*, sub initium *lib. V. Opusc. pag.* 205. *ex edit. Jac. Sirmondi.* De maligno eorundem studio sacras pervertendi historias, *Mericus Casaubonus*, in Tract. singulari, *The Originall Cause of Temporall Evils pag.* 27. 28. Quomodo Ægyptiorum *Isis* sit Ebræorum *Ischa*, enodavit *Maresius*, & itèm alia, in *Refut. Fab. Praadam. Quæst. I. §.* 30. Confer prætereà *Quæst. III. §.* 3. 4. & 25. ignem inexstinctum, tabernaculum, aream, propitiatoriumq; Gentiles fuisse imitatos, vidit *Edm. Dikinson in Delphi Phæniz. cap. XI.* Furta aliquot ethnicorum poëtarum ex sacris recenset *Paul. Vecchi in Apparatu Observat. omnig. erud. in Sacr. Script. Obs. III. pag.* 29.

MAGOS æquè ac MANICHÆOS duo statuere principia, Lucem ac Tenebras, Deum bonum ac malum, innuit Noster *pag.* 53. 54. 55. 170. De Manis vesano hoc errore plura *Josephus Albo* apud *Pocock. Not. in Spec. Hist. Arab. p.* 150. Deos istos ἀντιτέχνους, quorum bonus *Oromasdes*, malus autem *Arimanius* est dictus; ut

& de

& de Magis Zoroastræis, Manichæorum, de Persia latè se in Ecclesiam diffundentium, Patriarchis, copiosè *Rich. Montacutius Part. I. Orig. Eccles. A. C. secundo, fol. 177.* De duobus istorum principiis, quid tradatur ab Auctore quæstionum, quæ reperiuntur inter opera S. Justini, *Pag. Gaudentius de Progr. Phil. apud Rom. cap. CXXIV.* Qui ambo ingeniti, & sibimet ipsis contrarii Dii, multis declarat *Vinc. Riccardus ad Procli Orat. XV. pag. 440. v. 11.* De hac ipsa impietate *D. Hornejus lib. III. Comp. Hist. Eccl. cap. 9. Jo. Forbesius lib. IV. Instruct. Historico-Theol. cap. 5. §. 7.* nam Manem in hoc secuti sunt Cerdoniani & Marcionitæ, *ibid. §. 7. & 12.* Manes Pythagoreos imitatus, notatur à *Jo. Horatio Scoglio lib. III. Eccl. Hist. A. D. 277.*

TRISMEGISTUS cujus monetæ sit, ostenditur *pag. 73. & seqq.* Satis equidē mirari non possum, *Leonem* istum *Allatium*, magnæ eruditionis, sed Græcæ fidei hominem, cùm Etruscas Inghiramij Antiquitates redarguere vellet, *in Animadv. suis pag. 89.* ausum scribere: *An ex Trismegisto Mercurio, Sibyllinisq; Oraculis, & tota*

lege Moysis & Prophetis simile quid potest afferri? Nimirum per gradus antiquitatis progreditur: Trismegistum, & Oraula ista dignatur Mosi pariter ac Prophetis præponere. Quid Auctor *Observat. ad Antiquit. Etruscas* de nugis hisce? *Novum non est*, ait, *sub antiquorum nominibus fingi, inque publicam lucē protrudi libros. Nec defuerunt, qui divinis viris impegerint suas fabellas, sub nominibus Sibyllarum.* Et post nonnulla: *Sub Hermetis Trismegisti nomine Christiani libros ediderunt, sicut & Pythagorici nomina Orphei, ac Lini, imposuerunt libris suis.* Hæc ille *cap. 20.* Librorum plus triginta sex millia *Sam. Bochartus* interpretatur versus, cum libros ejusdem non plures quadraginta duobus *Clem. Alexandrinus lib. VI. Strom.* numerârit. Refellit dein *Athanasii Kircheri* de lingua Ægyptiaca, velut Græca antiquissima, somnium ex eburnea porta, vetustis in Ægypto locorum nominibus; ex Herodoto item & Plutarcho, & Horo Apolline, & Jamblicho: ubi voces Ægyptiacæ Græcismum non plus sapiunt, quàm Illyricæ, aut Germanicæ. *Lib. I. Phaleg. cap. 15.* De Trismegisti libris Medicis, *Jo. Filesa-*

cus in Dissert. de Idol. Magic. §. 5. Recentiorem istum Mose notat *Maresius Ref. Fab. Praead.* Quaest. *III. §. 56.* De nominibus Mercurii, & Hermetis, *G. Hornius lib. I. Hist. Philos. cap. 5. & 6.*

PYRAMIDES quando, & à quibus exstructae essent, incertum à Diodoro relinquitur, *pag. 94.* De autoribus fundatoribusq; Pyramidum, ut & de temporibus, quibus positae fuerint, Vir ille insignis, mihiq; & ore olim & calamo familiarissimus, *Joh. Gravius*, in Oxoniensi Acad. Astronomicae Professor celeberrimus, in *Pyramidographia*, Anglicè conscripta, *cap. 1. & 2.* Is enim per sexennium in Ægypto fuit, summa cura & studio singula indagatus.

TERAPHIM, TILSEMAT, & imagines, vel etiam statuae loquentes, planissimè explicantur *Exerc. II. sect. 6.* Integram Diatriben de Teraphim exhibet *Dilherrus Tom. II. Disp. XIII.* Anglus ille doctissimus, *Joseph Mede*, Teraphim pro parvis imagunculis, in certo siderum concursu compositis, habet; quae Judaeis, aliisq;, in re dubia, vel futura, oraculum edebant: *The Jevvs and others agree*,

Teraphim *vvere ſmall Images, made unter a certain conſtellation; vvhich they uſed to conſult both in things doubtfull, and things future: ſuppoſed, they had a povver to this effect received from heavenly influence much like to puppets made of Wax, and like matter, Which Wizzards ſtill uſe unto like purpoſe.* Ab his conſilium petiit Rex Babyloniæ, *Ezech. XXI. 21.* Vanitatem Imaguncularum prodit *Zach. X. 2.* Pro his junctim poſuit S. Scriptura *Ephod* & *Teraphim*, cum non haberent *Urim* ac *Tummim*. Vide ſis *Hoſ. III. 4. Jud. XVII. 4. 18.* Ubi diſcrimen inter *Teraphim*, *Urim* ac *Tummim*, proximè ſibi venientibus, clarè conſtituit Auctor ille in *Diatribis, or Diſcourſes on ſundry Texts of Scripture*, ad illa *Deut. XXXIII. 8. pag. 350. & ſeqq.* Quæ lis meliùs dividetur, ſi *Urim* ac *Tummim* ſeorſim conſideremus, apud *Cunæum lib. II. de Rep. Ebr. c. 2. Schickardum in Miſchp. Hammel. cap. I. theor. 2. Dilherrum lib. I. Elect. c. 5. R. Heggium, Dunelmenſem, Lection. in aliquot Script. loca, p. 14. Rob. Sheringham Comment. in Joma, cap. 7. Hottingerum Exerc. Anti-Mor. de Pen-*

de Pentat. Samar. th. 66. De vero hoc Dei oraculo, ſingulari hujus beneficio in gratiam populi conceſſo, contra atheiſtas, *Henr. Hammond, of the Reſonableneſs of Chriſtian Religion, edit. ſecund. pag. 33.* TELESMATA conficiendi artem *J. Gaffarellus* ſtrenuè, ceu quidem is videtur, ſed præter mentem (nî fallor) defendit in Tract. ſingulari, cui nomen eſt: *Curioſitez inouyes ſur la Sculpture Taliſmanique des Perſans.* Imprimis verò *chap. VI.* id agit, ut tribus his rationibus propugnet: *Par l' influence des Aſtres, par le vertu de la reſſemblance, & par l' experience.* Verum, uti Cabbalam, ita & magicam hanc artem *ſtudioſè* defenſitavit. Anos mureſq; aureos *I. Sam. VI. 6.* pro tali teleſmate *John Gregory in Opuſc. cap. VIII.* habens, ex *Hali Aben Rodoan, mutuum cæleſtium* pariter ac *terreſtrium figurarum reſpectum*, quem priſca ſuperſtitio magni faciebat, ſic interpretatur: *The formes of things here belovv are anſvvered vvith the like figurations above; and the Celeſtiall* formes *have a ruling* influence *upon the Sublunary:*

for example, the Scorpion *and* Serpent *in heaven upon those in earth.* Hæc ille. Tales videntur Magorum imagunculæ, quas *Mercuriolos* vocabant, gestabantq;, annotante *Des. Heraldo ad Tertull. Apol. cap. XXII.* Ipse Zoroastres fulmine, ceu precabatur, ictus, crematorum ossium suorũ cineres Persis reliquit, hæc prædicens: Ουκ λείψει τὸ βασίλειον ἐκ τῆς χώρας ἡμῶν; *non regnum à vobis, & hac regione tolletur, quàm diu ossa mea custodietis.* Quod factum fuisse, scribit Auctor *Chron. Alex. p. 88.*

IMAGINES, STATUAS, quibus malum aliquod, averruncarunt, præter *Gaffarellum*, studiosè congessit, & magicas ab astrologicis (ceu à purgatorio infernum) distinxit *Emundus Figrelius lib. de Statuis Illustr. Rom. cap. 3.* Ad quas defixiones, vel devotiones hostiles, refero contum, quem veteres Dani *Nydstong*, hoc est, *hastam imprecatoriam*, appellantes, in loco editiore (ejus summitati cranio equi imposito, hiante rictu, distentisq; faucibus) vel etiam in promontorio erigebant; quod è diametro regioni isti oppositum erat, in quo inimicus, vel ho-

hostis publicus, impetum facturus, versabatur. Plura de his *Stephanus Stephanius*, *Notis in Saxonis Grammat. lib. V. Hist. Dan.* Sic Deus iste Germanorum, Woden (unde *Woensdag* Belgis, & *Wednesday* Anglis, dies Mercurii, quo maximè colebatur) in promontorio quodam Gronlandiæ, religiosè observatus fuit. De quibus Idolis *Rich. Verstegan in the Restitution of Antiquities, chapt. III.* Huc fortasse referri possent signa illa de quibus *Arnoldus Boot lib. I. Animadv. Sacr. c. 2. 3. 4. 5. 6. & inprimis lib. II. c. 5. à §. 4. usq; ad §. 10.* ubi Danica monumenta commemorat. Quomodo Dæmones sortiti sint statuas, è Tertulliano, Arnobio, Lactantio, aliis perhibet *Filesacus in Diss. de Idol. Mag. §. 4. pag. 20.* Similes his statuæ istæ sunt *Baal Zephon*, quas contra fugitivos veteres Ægyptii, & Turcæ, erigebant; apud *Gaulmin. lib. II. Not. in lib. Vit. & Mort. Mos. c. 1.*

MENS, sive ΛΟΓΟΣ, consideratur *pag. 145.* Cyrilli lectionem, in testimonio Trismegisti, *Raderus* restituit hoc modo: Καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινός. In *Animad. ad Chronic. Alex. num. XII.* De loco

Hest-

Hesychij, νοῦς, ψυχὴ, πόλεμος, μόνας, hoc est, Deus (πάντα γὰρ ἐκ τῆς πάντα δυνάμει περιεχούσης μονάδος διακεκόσμηται) *Gil. Gaulmyn lib. I. Not. in libb. de Vit. & Mort. Mosis c. 10.* Hæc ipsa vox Pythagoricam redolet philosophiam, de qua *Jo. Meursius in Denario Pythag.* c. 3. & 7. Quàm multipliciter verbum λόγος à Christianis, qui, μετὰ λόγου vivere dicuntur, sumatur, *Casaubonus Exerc. I. ad Appar. Annal. Baron. num. X. Rich. Montacutius in Analect. Eccl. Exerc. I. sect. 5. Herb. Rosvveydus in Anti-Capel. cap. I.* sub finem.

PHTHAS (de quo *pag. 195.*) nomen utiq; Ægyptiacum est; nam Ægyptii hodienum in illa lingua (qua, affirmante olim *Salmasio*, missam, & sacra sua peragunt) Deum sonat; uti videre est in *Ath. Kircheri Lexico linguæ Copticæ, Sect. II.* quæ *Scalam magnam* continet, *Porta I. de Nomin. Dei & Angel. c. 1.* Ubi ΦΘΙ, vel ΦΔΙ idem est, quod apud Suidam ΦΘΑΣ, in illo proverbio: Φθᾶς σοι λελάληκε, *Phthas*, sive, *Deus tibi locutus* est. Ferè, ceu nos Germani: Hat dich wol Gott reden

heiß=

heiſſen. In eadem lingua ΠΙΕΜΙΝΦΑΙ denotat *ſcientiam Deorum*, aut *Geniorum*, hoc eſt, Phyſicam.

SANCHONIATHON (cujus fit mentio *pag. 181. & ſeqq.*) tantæ non eſt antiquitatis, ut Moſi uel præferri debeat, vel ſaltim æquari; nam ſi Porphyrium audimus (ait *Voſſius lib. I. de Hiſt. Gr. c. 1.*) vixit temporibus Semiramidis, Aſſyriorum Reginæ. Sanchoniathon meminit temporis (& quidem, ut rei antiquæ) quo Tyrus condita eſt: Atqui Tyrus ante Trojanam cladem condita eſt annis non ampliùs ſexaginta ſex: Sive, ut quindecim illos, in quibus anachroniſmo peccat Euſebius, cum Voſſio annumeremus, *annis ante* excidium Trojæ *nonaginta, & uno.* Id autem Porphyrio impoſuit, quod Semiramidem πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἢ κατὰ αὐτούς γε τοὺς χρόνους, *ante tempora Iliaca, aut circa illa* fuiſſe, putavit. Sed hoc perſpicuè falſum ὁ πάμμεγας indicat his verbis: *decimo Semiramidis anno, usq; ad cladem Trojanam, intervallum eſt annorum octingentorum.* Confer *Sam. Bochartum lib. I. Phaleg. c. 15.*

PORPHYRII fides examinatur *pag. 187.* Non in Sicilia, sed in Bithynia eum impiis libris suis Christianam religionem oppugnasse, *Eusebius* & *Hieronymus* contendunt; cujus sententiæ fundus est in verbis *Lactantii lib. V. de Justit. c. 2.* Et quidem eo tempore, quo Diocletianus crudelissimè contra Christianos sæviebat. De patriæ nomine Baronius, ex *Hieronymi comment. in Epist. ad Gal.* contendit non Tyrium, sed *Batanæotem*, hoc est, *Judæum* (nam *Batanæa* civitas erat *Judææ, XV.* milliaribus à Cæsarea Palæstinæ) patriæ generisq; cum tæderet, falsò & impudenter *Phœnicium* se mentitum fuisse. Verùm evinci contrarium videtur, quòd ex maxima Phœniciæ civitate plurimis & Alexandriam & Romam quotidiè commigrantibus, mendacium latere nequaquam potuisset. Idq; eò magis, quod & ipse *patrem Tyrium* nominet; & Eunapius eum *non ignobili genere* apud suos ortum testetur. Et quomodo latere potuit, qui tantæ *sapientiæ fama* inclaruerat? & ut alios latuerit, quî potuit *Longinum*, *Jamblichum*, aliosq;

Syros

Syros, qui cum eo versabantur? Ipse Longini epistolam vitæ Plotini inseruit, ex Phoenicia ad se scriptam, qua *ex Sicilia* evocatur; ubi Longinus *Tyri, patriæ* ejus meminit. Ad hæc, Patres cùm Porphyrii calumnias sæpè cum Judæorum blasphemiis comparent, nemo tamen commune cum illis genus ipsi fuisse scribit. *Christianam religionem* eum amplexum fuisse, credibile est; qui puer Origenem Alexandriæ audierat: Præsertim cùm præter *Socratem*, atq; *Nicephorum* *Augustinus* disertim affirmet, istum vanæ scientiæ tumore inflatum, à sabulerrima Christi humilitate resiliisse. *lib. X. de C. D. cap. 28.* Hæc fusiùs exponit *Luc. Hölstenius Dissert. de Vit. & Script. Porphyrii, cap. 3. & 4.* Idem Chaldæorum Oracula complexus est, *cap. 9.* Tres præ ceteris (nam *triginta circiter* ponit *Fl. Lucius Dexter* in Chronicis, ad A. C. 310.) clarissimi homines, *Methodius Patarensis*, *Eusebius Cæsariensis*, & *Apollinaris Laodicenus*, contra istius blasphemias scripserunt: sed nullius opus ad nostram ætatem pervenit. Idem *Holstenius cap. 10.*

Quòd

Quod dictus sit *Tyrius*, observavit quoque *Pag. Gaudentius de Progr. Phil. apud Rom. c. 163.* Quando claruerit, *Vossius de Philosophia, cap. 17. §. 6. & de Sect. Philos. cap. 16. §. 3. Hornius lib. V. Hist. Philos. cap. 5.*

HOMERI CARMINA, sine literis diu conservata, prodit Josephus, *pag. 204.* Quare Lycurgus, non longè infra Homeri ætatem (fidem Tullii testos in *Bruto, & lib. V. Tusc. Quæst.*) ex Jonia in Græciam secum avexit; & primus omnium illa, recitantium, sive etiam scribentium, incuria malè habita, diligenter colligi jussit: Correxerunt tandem *Aristoteles, Zenodotus, Aratus, Aristophanes, Aristarchus*; & postremis temporibus *Comatas*. Adi *L. Allatium de Patria Homeri, cap. 5.*

LIBER HENOCHI (de quo *pag. 208. & seqq.*) proculdubio alium habet auctorem; nam multas continet fabulas, præsertim de Angelis, cum filiabus hominum congressis; Gigantibusq; : Ideò non audet eum viro justo tribuere *J. Drusius in Henoch. cap. 18.* Immò, propter

pter nimiam antiquitatem Enochi prophetia jure meritoq; fuit suspecta, & apud Judæos æquè ac Christianos in nulla auctoritate, ut ex *August. lib. XIIX. de C. D, c. 38.* verum S. Scripturæ canonem defendit *Conr. Hornejus Tract. de Sacr. & Div. Script. Disp. II. q. 2.* Videatur præterea princeps Theologus, *D. Dannhavverus in Dramate Sacro, Act. I. Theat. III. Phant. 2. Prideaux Conc, I: fol. 4. Sossius de Num. Hist. c. 45. Duret, Hist. de l' Orig. des Lang. de cest. Univ. chap. 25.* Habent hodienum Abyssini, sed cujus fidei? Anonymus in *Observ. ad Antiq. Etrusc. c. 26. Bochartus lib. IV. Phal. c. 1.*

COLUMNÆ SETHIANÆ (quas Exercitator forti destruxit judicio, *pag. 212. & seqq.*) cœli ac terræ generationem continuisse, tradit Josephus; *fides sit penes illum*, ait *Lud. Vives lib. II. de Ver. Fid. Christ. c. 7.* De hac Josephi fide *Bochartus lib. I. Phal. c. 14.* In utramq; partem *διαλογίζει Sossius de Num. Hist. c. 46. & 49.* Tanta nimirum inest certitudo, ut quidam à *Sethi prole*, alij ab *Abrahamo*; nonnulli *ante*, alij *post diluvium* statuant; hi *columnas*, illi *tabulas*; hi

ahenas, reliqui *lapideas* fuiſſe, tradant. *Joſ. Ant. Gonçalez de Sala in Diſſert. de Duplici Terra, p. 67. usq. ad 17.* Tales ſunt illæ Noachi apud Beroſum, dignum *Cenſura Caſparis Varrerij*, Romæ 1565. edita.

LIBER BELLORUM DOMINI (de quo judicium cenſuramq; fecit Noſter, *pag. 221. & ſeqq.*) Druſio quidem non eſt catalogus, aut narratio; ſed liber, in *Henoch cap. 27.* Nec tamen fides Rabbinorum commentis erat habenda, ac ſi tempore Moſis, vel ante Moſen, ſcriptus fuiſſet; qui potiùs ex diurnis ejusdem commentariis conflatus videtur. *Mareſius in Præf. Apol. pro αὐθεντίᾳ S. Script.* (contra Præad.) *pag. 68. & ſeqq.* Adjunge, contra eundem, *J. Pythium lib. I. Reſp. Exetaſt. c. 7.*

LIBER HIOBI (de quo *pag. 222. & ſeqq.*) tribus vindicatur modis à *Voſſio lib. II. de Idol. c. 3.* dum oſtenditur I. illum non eſſe parabolam (quod *Maimon. in More Nevoch. part. III. ſect. 22.* aſſerit; & unde ab Anabaptiſtis, ceu *Tragicomœdiam*, rideri monet *Guil. Whitaker de Sacr. Script. Contr. I. q. 1. c. 3.*) ſed hiſtori-

ſtoricum potiùs, qualis *R. Levi ben Gerſoni* videtur *Præf. in lib. Jobi, pag. 8. ex edit. Lud. Henr. Aquinatis*; ideò, quia 1. nomen & patria Jobi refertur, quod non fit in parabolis: Quia 2. Job conjungitur cum Noë, & Daniele *Ezech. XIV. 14.* quos fuiſſe conſtat: Quia 3. is commendatur, ut exemplum patientiæ, *Jac. V. 2.* quæ virtus, ſi fictitium nomen ſit, conſideraretur in abſtracto, neq; in concreto; hoc eſt, non qualis inventa in Jobo, ſed cujusmodi eſſe oporteret.

II. Videndum, quandò vixerit? Erat igitur vel æqualis, vel Moſe antiquior: unus è Nachoris, vel Eſavi poſteris: Prior ſententia placuit *Hieronymo Trad. Hebr. in Gen.* nempe ut Nachor, Tharæ filius, Abrahæ frater genuerit Hus; Hus autem Jobum. Sententia hæc nititur partim *Gen. XXII. 21.* ubi Melcha dicitur peperiſſe Nachori primogenitum; partim, quod Job habitaſſe traditur in terra Hus, initio libelli. Quare colligunt, Jobum fuiſſe filium Us, nepotem Nachoris, Tharæ pronepotem. Sed *Beda Comm. in Jobum* cenſet, fuiſſe pronepo-

tem Esavi, eò quod Esau genuerit Rahuel ex Basemath, Ismaëlis filia; ut est *Gen. XXXVI. 4. 10.* Rahueli autem filius fuit Zara, *ibid.* §. 13. hoc autem genitus Jobab, §. 33. qui idem ac Job creditur. De patria Jobi, & Esavi terra *Olympiodorus in Catena Græc. Patr.* (ex edit. Patricij Junij) *cap. I. fol. 2.* Idem non solùm de patria, verùm & de Job ac Jobab, *cap. XXXIII. fol. 612. 613. 614.*

III. Auctor libri vel erit Job ipse, ut *Gregorius M.* præf. in Jobum & *Suidas* in Ἰώβ autumarunt; vel aliquis (ut ibidem innuitur) amicorum Jobi, vel Moses, aut Salomo, vel Propheta, item Sapiens quispiam Babylonicus. In hoc dissensu lubentiùs ijs accedit *Vossius*, qui vel à Mose scriptum censeant, vel anteà etiam à Jobo ipso. Sententia de Mose placuit *R. D. Kimchi*, item *R. Levi ben Gersoni in præf.* & ex nostris multò antè *Origeni*; ut nempe eum scripserit, quo populus Israëliticus longam illam peregrinationem in deserto faciliùs ferret. Similiter *Isidorus lib. I. Offic.* Floruisse enim Jobum, cùm populus ille adhuc in Ægypto esset,

ait

ait *Chrysostomus in Catena*: Ἦν οὔπω λάμπων ὁ δίκαιος, ἔτι ἐν Αἰγύπτῳ ἦσαν Ἰουδαῖοι. *Cap. XXXIII. fol. 613.* Quapropter *Polychronius* in Procemio: *Verisimile est, Mosen* εἰς παραίνεσιν τοῦ Ἰσραὴλ *librum scripsisse.* Hæc quoq; sententia est *Aug. Steuchi Eugubini, Recognitione in Gen. cap. I.* Hinc eadem juris naturalis vestigia & in Jobi Historia, & in lege Mosaica; de quibus *Jo. Seldenus lib. VII. de Jure Nat. & Gent. cap. 11.* Gallus ille acutissimus, *J. F. Senault*, qui paraphrasi Gallica Jobi librum illustravit, duplici gaudet sententia; *altera* quidem, quod primus Spiritus S. discursus fuerit, Oraculorum instar, non scriptus, sed ore tantùm traditus: *altera* verò, Mosen in versus Historiam redegisse, quod poësis populo esset acceptior. Sic autem (*pag. 18. 19.*) ille: *Les Peres d l' Eglise tombent d' accord, que ce discours est le premier, que le sainct Esprit a dicté, qu' il avoit bien auparauant parlé par la bouche des hommes; mais qu'* il n' avoit point escrit par leurs mains, *que ses* Oracles *ne se sçavoient*, *que* par la tradition; *& qu' il n' y avoit point encore d' Escriture sain-*

cte, que l' onpeust consulter pour apprendre ses voluntez. Mais ils ne conuiennent pas si absolument de l' autheur de cet ouurage: la plus commune opinion pourtant, & la plus resonnable ce me semble, est, que Job se voyant restably dans sa premiere grandeur, & s' entretenant de ses miseres passées, en avoit luy mesme escrit l' Historie & qu' estant tombée entre le mains de Moyse, *ce grand homme*, la mit en vers pour la consolation de son peuple? *& l' embellit des plus riches ornemens, & de plus esclattantes figures de la Poësie.* Ecquæ nam hæc fabula Rabbinorum est, Mosen è lingua Syriaca in Ebraicam lib. Jobi transtulisse; ceu ex Genebrardo & Senensi refert *Duret, Hist. de l'Orig. des Lang. chap. 85.*

LIBRI SIBYLLINI fraudis rei peraguntur ab eruditissimo Amico nostro, cui pectus sapit, *pag. 225. & seqq.* Nemo feliciùs hác in re *Dav. Blondello*, qui de Sibyllis Gallicè scripsit: Versionem jam diu Amstelodami nonnemo meditatur. Quid de plagis istorum sit sentiendum, edocet nos *Dannhavverius in Dram. Sacr. Act. I. Theat. I. Phæn. I. Rich. Montácutius*

in

in Analect. Eccles. Exerc. IV. integra. Jos. Isæus Not. in Lactantii lib. I. Instit. c. 6 Melch. Guilandinus de Papyro, Membr. XXV. Jo. Meursius Not. in Hesych. Σίβυλλα, Oracula hæc pro virili defendunt *Guil. Postellus in Originibus, cap. 16. Guil. Canterus lib. I. Nov. Lect. c. 3. Herb. Rosvveydus in Anticapel. c. 11. Jo. Bapt. Casalius Part. III. de Urb. & Jmp. Rom. c. 4. James Hovvel in the IV. Volum. of Famil. Lettres Epist. 43.* Hac potissimum de caussa hi omnes tripudiant, quod citentur à Patribus, velut ab *Ignatio in Epist. ad Philadelph.* Sed ex hoc ipso loco *Vedelius* refutavit, qui putant libros Sibyllinos esse genuinos, *Exerc. III. cap. 17.* Sic nemo reprehendendus est, *qui è segete ad SPICILEGIUM relictam stipulam legit!*

ERRATA

sic emenda: Lege, *literiones* pag. 4. lin. 11. *se*, dele, l. 23. *innititur*, p. 9. l. 8. *quingentis*, p. 10. l. 17. *agnoverunt*, l. 20. annorum, p. 11. l 7. Dele *parenthesin*, l. 7. 9. egregiè, l. 23. doctiores. p. 12. l. 1. *quater*, p. 15. l. ult. subducamus. p. 16. l. 13. demum. l. 14. adeoq;. l. 16. agnoscebant, p. 23. l. 3. Cantabrigiensi, p. 24. l. 7. annoravit. p. 31. l. 19. εἴρηται, p. 32. l. 14. ἐκθειάζουσι, p. 33. l. 17. translato. p. 34. l. 21. κλίσμα p. 35. l. 25. *contemplatorem*, p. 41. l. 1. *μωμοσκοπεῖν*. pag. 44. l. 19. industrius, p. 51. l. 16. Oracula, p. 54. l 3. χώρας. p. 58. l. 9. saluberrima. p. 63. l. 14. testor. p. 64. l. 11.

FINIS.